A. GEMELLI, O. F. M.

NON MOECHABERIS

GRADUATE THEOLOGICAL UNION
1962
Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

QUAESTIONES
THEOLOGIAE MEDICO-PASTORALIS

Vol. I

AUGUSTINUS GEMELLI O. F. M.

DOCTOR MEDICINAE ET CHIRURGIAE

PROFESSOR AD. HONORARIUS HYSTOLOGIAE - LECTOR MEDICINAE PASTORALIS

NON MOECHABERIS

DISQUISITIONES MEDICAE IN USUM CONFESSARIORUM

EDITIO ALTERA, PENITUS RECOGNITA, NOTABILITER AUCTA

AC DENUO EX ITALICO IN LATINUM SERMONEM TRANSLATA

A CAN. DOCT. JOSEPHO BIAGIOLI

#4294

THEOLOGICAL LIBRARY O. F. M. SANTA BARBARA NO. _____

253.3 G-322

THEOLOGICAL LIBRARY O. F. M. SANTA BARBARA NO. 15198

BIBL. STUD. O. F. M. CALIFORNIA

FLORENTIAE

" LIBRERIA EDITRICE FIORENTINA "

MCMXI

QUOAD NOS NIHIL OBSTAT

Datum Mediolani, ex conventu Deiparae Immaculatae, die 20 Octobris 1910.

Fr. FIDELIS M. PACCHETTI O. F. M.
Minist. Provinc. Longobardiae.

NIHIL OBSTAT

Florentiae, die 22 Oct. 1910.

Can. DARIUS MOROSI, *Censor. eccl.*

IMPRIMATUR

Florentiae, die 22 Oct. 1910.

Can. ALEX. CIOLLI, *Vic. Gen.*

JURA PROPRIETATIS RESERVANTUR

FIRENZE — Stabilimento Tipografico S. Giuseppe — Via Pandolfini, 26.

DEIPARAE VIRGINI MARIAE

LABIS ORIGINALIS NESCIAE

IN COENO PECCATORUM VOLUTANTIBUS

DIUTINA MISERICORDIA EFFULGENTI

HUMILLIME PERAMANTERQUE

HOC OPUS

D. D. D.

AUCTOR

ALTERI EDITIONI PROOEMIUM

Prima hujus operis editio, benigne a medicis et theologis excepta, ac in diariis non paucis et commentariis laudata, brevissimo exhausta est tempore.

Unde sollicite et instanter ab editoribus et amicis rogati alteram ab initio proposuimus editionem illico curare; sed multiplices rationes animum nostrum adduxerunt ad amplius cogitandum efformandumque opus.

Consideranti enim, quomodo in communibus medicinae pastoralis manualibus materia distribuatur, et quaenam in singulis quaestionibus tractandis methodus adhibeatur, facile statim apparet ex his quaedam tamquam tractationes elementares de praecipuis quaestionibus optime quidem esse studentibus accommodata (uti, ex. gr., eximium Capelmann manuale), sed cetera, pleniores aggressa disputationes, veluti collectiones quasdam exhibere plus minusve rite ordinatas, nonnulla etiam heterogenea continentes, in quibus systematicum ordinem expositionemque methodicam difficile est invenire.

Nobis igitur opportunum visum est separatim singulas tractare quaestiones, quae multiplices notiones requirunt elementares, necnon varietatem quandoque ipsius methodi et criterii tam in investigandis quam in exponendis doctrinis, atque singulis tractatibus manuale analogum seu respectivum aptare.

Varia haec itaque manualia complexive sumpta collectionem constituent, cui titulus: *Quaestiones theologiae medico-pastoralis.* In unoquoque vero volumine argumentum pertractabitur in se organice constans. Eorum autem compositio haud exclusivis perficietur criteriis omnes in unum coacervandi cognitiones actuales, quae ad illam pertinent materiam, sed novam suppeditabit contributionem cuilibet jam antea explanatae quaestioni. Ad hunc porro finem conclusiones nostrarum investigationum et studiorum afferemus; et iis expositis, quae ab aliis tradita sunt, experientiis quoque et factis innixi, quae verior et melior retinenda videbitur, solutionem vindicabimus.

Hoc autem primum volumen illud totum complectitur quod medicum et confessarium potest juvare ad judicium efformandum circa imputabilitatem actuum sexualium, necnon circa idoneitatem mediorum, quae suggerere valet medicina ad impuritatem oppugnandam. Quidquid igitur in prima editione continebatur, quod meliorem potest accipere aptioremque explanationem in aliis manualibus, ex. gr.: De matrimonio, vel: De psychopathologia, ab hac altera expunctum est; in qua potius omnes comprehensae sunt notiones ex biologia depromptae, necnon ex psychologia, physiologia et pathologia, quae ad finem intentum utiles esse possunt. Et hinc factum est, ut praesentis operis plena et totalis consecuta sit reformatio, seu melius vera transformatio successerit.

Editor alter versionem emendatam perficiendam curavit, diligenti studio debitam et labori doct. Josephi Biagioli, Ecclesiae faesulanae canonici poenitentiarii.

Quod si haec quoque versio, scholastico stilo redacta, deficiens et interdum adhuc mendosa videatur, quam difficile sit, studiosus lector perpendat, novitatem conceptuum et vocabulorum, quae nondum rata fixaque sunt, sed continuae potius evolutioni subjecta, veteri

tradere et jam extincto sermone, et formam adhuc habere sanorum verborum.

Praesens autem volumen cetera citius sequentur, quorum alia jam typis sunt consignata, alia vero struuntur. In quibus tamen edendis non logici cujusdam criterii, sed opportunitatis ratio dumtaxat habebitur, illa prius in lucem proferendo, quae pertractant quaestiones, positivas jam solutiones adeptas.

Analytici vero copiosioresque indices, necnon logica enumeratio finalis integrae collectioni formam et characterem praestabunt systematici operis universas explanantis quaestiones, quae medicinam pastoralem spectant.

Atque jam ex nunc sequentia possumus praenuntiare volumina: II. *De scrupulis, eorumque natura et causa.* III. *De matrimonio.* IV. *De psychopathologiae pastoralis principiis. — De inculpabilitatis causis et diagnosi.* V. *De abortu et de operationibus circa foetum.* VI. *De masturbatione.* VII. *De hygiene ecclesiastica.*

Utinam labor noster modicus nonnihil valeat ad quaestiones illas solvendas, quae tot ac tantis concertationibus scatent, fructusque afferat salutis aeternae animabus non corruptilibus auro vel argento redemptis, sed pretioso sanguine D. N. J. C.

Lucani, *in festo Puritatis B. M. V. a. d. MCMX.*

Auctor.

INDEX

ALTERI EDITIONI PROOEMIUM . . . . . Pag. VII-IX

INTRODUCTIO. . . . . » 1-7

BIBLIOGRAPHICAE NOTAE . . . . . » 9-16

CAPUT PRIMUM

De Sexuali Instinctu.

1. *De sexuali animalium instinctu.* — Procreationis natura. Varietates mediorum ad hunc finem. Procreationis finalitas. Sexualis instinctus natura. Pag. 17-33

2. *De sexualis hominis instinctu.* Huius instinctus evolutio; varietates eiusdem . . . . . Pag. 33-36

3. *De sexualis instinctus differentiis in viro et in femina* . . . . . Pag. 37-40

4. *De nerveis centris sexualis instinctus.* — Nervea centra. Eorum functiones. . . . . Pag. 40-43

CAPUT SECUNDUM

De caussis sexualis appetitus.

(De sexualis appetitus physiologicis atque patologicis varietatibus).

1. *Tractationis caussarum necessitas.* — Caussae remotae et caussae proximae. Caussae physiologicae et caussae pathologicae . . . . . Pag. 45-47

2. *Caussae organicae:* 1) De temperamentis. Temperamentum et constructio morphologica. Correlatio functionum. Temperamentum eroticum. Haereditas et characteres acquisiti. — 2) De caussis organicis localibus. — 3) De caussis organicis generalibus. Pag. 47-63

3. *Caussae externae.* — Alimentatio, loci temperies, caussae variae . . . . . Pag. 64-71

4. *Caussae pathologicae.* Sexualis instinctus perversio. Sexuales inversiones . . . . . Pag. 71-76

5. *Conclusio* . . . . . Pag. 76-77

CAPUT TERTIUM

De castitate.

1. *Praesumpta continentiae damna.* — De necessitate continentiae physiologicae. — Praesumpta damna: Pollutiones nocturnae. Spermatorrea. Onanismus. Perversiones sexuales. Dementia. Nevrosis. — Testimonia cl. doctorum . . . . . Pag. 80-96

2. *Continentiae commoda.* — Secretiones internae glandularum sexualium. Earum utilitas. — Imminutio venerei stimuli. — Testimonia cl. doctorum. Pag. 96-101

3. *Incontinentiae damna.* — Influxus venerei stimuli in nerveum systema. — Organismi enervatio. — Morbi secreti . . . . . Pag. 101-107

4. *De appetitus sexualis praesumpta invincibilitate.* — Degeneratio sexualis . . . . . Pag. 107-117

5. *Conclusio* . . . . . Pag. 118-120

CAPUT QUARTUM

De incontinentiae prophylaxi.

1. *Efficacia auxiliorum medicae artis adversus incontinentiam.* — Praeveniendi et curandi methodus. — Ratio prophylaxi scite adhibendae. — Activitatis sexualis physiologia et pathologia una cum duplici correspondenti prophylactica directione . Pag. 121-123

2. *De incontinentiae caussarum internarum prophylaxi.* — De caussis internis physiologicis et pathologicis earumque disciplina . . . . . Pag. 123-125

3. *De incontinentiae caussarum externarum prophylaxi.* — Puritatis institutio. — De iuvenum instructione atque institutione. — Religiosi sensus praecipua et necessaria puritatis efficiens caussa. — De conversatione inter iuvenes diversi sexus. — De librorum lectione . . . . . Pag. 125-140

4. *De hygienica prophylaxi.* — *a)* alimenta; alimentaria ratio pro iis, qui castam ducere volunt vitam; — *b)* potiones; — *c)* tabacum; — *d)* corporis activitas, physica institutio, gymnastica medica; — *e)* somnus; — *f)* spiritualis activitas. — De casti hominis spirituali hygiene iudiciorumque concordia inter medicinae atque ethices doctores . . . Pag. 140-159

CAPUT QUINTUM

De incontinentiae therapeutica sive cura.

1. *Schema rationalis therapeuticae.* — Diagnosis caussarum aphrodisiae est maximi momenti ad rationalem therapeuticam instituendam. — Classificatio remediorum aphrodisiae . . . . . Pag. 161-164

2. *Anaphrosidiaca hygienica media.* — Balnea. — Impellentes aquae ductus. — Ablutiones. — Actio balneorum . . . . . Pag. 164-167

3. *Anaphrosidiaca pharmacologica.* — Medicamenta antiquorum. — Medicamenta quibus cum aliquo fundamento tribuitur virtus anaphrodisiaca. — Antispasmodica. — Hypnotica. — Varia . . Pag. 167-178

4. *Hypnotismus, castratio, electricitas, etc.* . Pag. 178-180

5. *Spiritualis therapia.* . . . . . Pag. 181

CAPUT SEXTUM

Psychotherapia incontinentiae.

Introductio. — Efficacia psychotherapiae . Pag. 183

1. *Psychotherapia generatim inspecta.* — Notio. — Hypnotismus et psychotherapia. — Notiones psychologicae necessariae ad recte intelligendum, quomodo psychotherapia agat. — Mechanismus habitudinis. — Educatio voluntatis. — Reflexio meditativa. — Efficacia psychotherapiae . . . . . Pag. 183-202

2. *Psychotherapia incontinentiae et praesertim masturbationis.* — Efficacia psychotherapiae quoad masturbationem. — Principia psychotherapiae. — Media practica. — Conclusio . . . . . Pag. 203-209

CAPUT SEPTIMUM

De sexualibus aberrationibus earumque cura.

Introductio. — Huius tractationis gravitas pro theologo. — Sexuales aberrationes, actuumque sexualium imputabilitas. — Sexuales perversiones. — Istarum specifica distinctio. — Huius distinctionis in morali theologia momentum . . . . . Pag. 211-217

1. *De sexuali physio-pathologia.* — Sexuales characteres primarii et secundari, somatici et psychici. — Genitalis apparatus evolutio in ordine ad characteris sexualis evolutionem. — Haereditas et sexuales aberrationes. — Habitudinis influxus. — Feticismus. — Anomaliae sexuales reflexae. — Sexualis paradoxismus. — Sexualis hyperestesia . . . Pag. 217-225

2. *De onanismo.* — Onanismus in viro. — In femina. — Onanistae ex habitudine. — Onanistae ex morbosis caussis. — Harum formarum prognosis. — Cura. Pag. 225-228

3. *De homo-sexualitate.* — Homo-sexualitatis typi. — In viro et in femina differentiae. — Somatici et psychici characteres in homo-sexualibus. — Homo-sexualitatis natura. — Eius decursus. — Diagnosis et cura . . . . . Pag. 228-246

4. *De sexualibus perversionibus, quarum obiectum sexus diversitas extat.* — Feticismus pathologicus — masochismus — sadismus — exibitionismus — paedophilia . . . . . Pag. 246-255

5. *Conclusio.* — Huius tractationis gravitas prae morali theologia ad actuum imputabilitatem determinandam . . . . . Pag. 255-256

CAPUT OCTAVUM

Conclusio totius operis . . . . Pag. 257-267

INTRODUCTIO

« *Non moechaberis* » (Ex. 20, 14). « *Non desiderabis uxorem proximi tui* » (Ibid. 20-17). En Dei mandatum: et nullum forsitan, sicut istud, in Dei lege extat praeceptum, cujus observantia tantam voluntatis exigat vim et tenacitatem propositi.

Aliunde vero, castitas ipsa, sicut egregie scripsit Bonal, tamquam conditio sine qua non, munimentum et pax ceterarum virtutum supereminet, vitiumque oppositum perenniter et ubique se exserit adeo exitiale et pestiferum, ut nihil abiectius, periculosius, et pro individuo, familia ac societate calamitosius excogitari possit; atque sine ulla prorsus exaggeratione haec stupenda pleneque formidanda verba S. Ligorius (lib. 3, n. 413) ausus sit proferre: « *Propter hoc unum impudicitiae vitium, aut saltem non sine eo, omnes damnantur, quicumque damnantur!* » Nihil igitur mirum, si hujus mandati transgressio Sacramento Poenitentiae *materiam* frequentiorem et copiosiorem subministret. « Nulla adest, scribit clarissimus Antonelli, nulla adest aetas, quae his vitiis (contra castitatem) libera evadat; ac proinde saepissime inveniuntur in iuvenibus utriusque sexus, adolescentibus, pueris puellisque, adultis et senibus etiam, qui ad extremam senectutem iam per-

venerunt; occurrunt in solutis et in coniugatis. Lacrimae fluunt cum mente revolvitur hoc mare magnum, sine littore, in quo tam caece natant homines, ut inveniant semper novas voluptates et in quo fere infinitus numerus naufragium facit ».

Sed et insuper contra hujusmodi legem graves et innumerae obversantur difficultates, sive propter ipsam naturam quaestionum hinc inde exurgentium, quae multiplicibus dubiis et opinionibus ansam praebent, sive etiam, ut lucide exponit clarissimus Bonal, ob mentis caecitatem ac debilitatem voluntatis, quas pro se inducunt venerea, et quarum ratione multa difficile dignoscuntur, corriguntur difficilius.

Difficultates itaque, quas in divino hoc mandato adimplendo unusquisque experitur, animum nostrum moverunt ad colligendas et breviter exponendas notiones, quas christianus medicus potest suppeditare, ut minus ardua evadat humana lucta contra stimulum carnis, quae, teste Apostolo, *concupiscit adversus spiritum*, militat in membris nostris, et continuo fragilitati humanae insidiatur.

Neque hoc opus inutiliter aggressos nos fuisse putamus.

Sacerdotes enim et religiosorum ordinum viri, qui habitant in domo Domini penes tabernacula Dei protegentia, atque Confessarii, strenue dimicantes, pro salute poenitentium, contra eorum concupiscentiae appetitus effraenos, saepe saepius a nobis efflagitarunt, utrum et quaenam artis medicae, hodie tam praepotenter progressae ratione biologicarum cognitionum, adjumenta praesto essent ad debitam Deo imperanti obedientiam praestandam.

At plerisque, ni fallor, ex sincero medici verbo tota evanuisse spes concepta videbitur. Hi enim illusione laborant, a scientia medica exspectantes « *castitatis syrupum* » (*Sciroppo di castità*), vel quod « *Agnus ca-*

stus » (1) appellabatur et exhibebatur a medicis pluribus anteactis saeculis.

Sed, etsi ita res non se habeat, ut isti falso imaginantur, et verum semper equidem sit, vitae castimoniam fortis et constantis voluntatis effectum esse, quae, Dei gratia adjuta, appetitui sensitivo dominatur, ars tamen medica notiones et monita praestat, quae veram ac realem utilitatem praeseferunt.

Ipsis porro confessariis putàmus et sub alia ratione medici verbum profuturum esse. Praejudicium enim invaluit nostris hisce temporibus *oportere juvenes genio indulgere,* (« *il faut que jeunesse se passe*) », et ad hoc praeiudicium tuendum enumerantur damna castitatis, et physica appetitus continendi impotentia, sub praetextu legum physiologicarum, adducitur.

Iamvero medici verbum ad tam pervulgati principii obscoenam assurditatem demonstrandam saltem utile esse, nemo est, qui non videat.

Confessarius itaque rationes hic adinvenire poterit, quibus instruantur et confutentur, qui tale principium, signum haud dubium societatis corruptae, amplecti et sequi non verentur, et remedia iis suggerenda qui opinantur, instinctui sexuali neminem resistere posse.

His praeterea addendum, quod ad haec conscribenda alius impulit considerationum ordo non minoris momenti, quam quem hucusque exposuimus.

Nostra etenim Theologiae moralis manualia circa imputabilitatem singulorum actuum humanorum plerumque principia dumtaxat indeterminata, universalia exponunt, et ad schematis instar: neque satis attendunt multiplices causas, quae possunt in determinationem voluntatis influere, et pro tanto etiam rationem actus *liberi* notabiliter variare, necnon totaliter tollere quandoque. Et hinc sequitur, quod hujusmodi manualia cum

---

(1) Cfr. inf. Cap. V.

sollicita tantum sint de principiis generalibus, et non de influxu, quem exercent in actum voluntatis biologica, psycologica, physiologica, socialia et ethnica agentia, quae possunt imputabilitatem modificare, insufficientia laborant instruendi, ut par est, Confessarios quoad conditiones reales actus humani, qui concrete nonnisi in singulis individuis habetur. Quod maxime verificatur in actibus contra sextum Decalogi praeceptum.

Verum equidem est, pluribus in casibus, sat rectum Confessariorum sensum, exactum in praxi judicium ferre circa imputabilitatem actionis, omnia ponderando cum sufficienti praecisione, quae plus minusve influunt in liberum voluntatis exercitium; sed notionum physiologicarum penuria, absolutus notitiae difectus de re pathologica, relate ad sexualem appetitum, et ad omnes illas manifestationes, quae ad venereum actum referuntur, atque omnimoda particularis et bene definitae demonstrationis in maiori manualium parte carentia efficiunt, ut confessarius in hac materia veritatem confuso atque indeterminato modo percipiat, quin sibi obiecti praecisam rationem efformet, sensuque potius misericordiae quam iustitiae condemnationis iudicium suspendat. — In huiusmodi casibus confessariorum nonnulli nos de artis medicae praesidio sciscitati sunt; nobisque summopere placuit notiones quasdam physiologiae et pathologiae ipsis tradere, atque ad pias conscientias, quas peccati timor vehementer perturbaverat, in tranquillo ponendas opem hanc nostram afferre, eis demonstrando, lapsus causam in morbosis poenitentis conditionibus (nervei scilicet systematis vel apparatus genito urinarii) exquirendam esse; quo nihil nobis iucundius, quum simul etiam adiuvare datum sit ad graves perturbationum causas removendas, prouti medici munus est.

Iam vero, tale factum nobis considerantibus aperte ostendit, studium physiologiae et pathologiae sexualis

appetitus, uti decet, necessarium esse, ut magis adaequata iudicandi ratio de imputabilitatis gradu pro unoquoque individuo, in multiplici circumstantiarum varietate, confessariis exhiberetur.

Neque huic gravissimo praestando negotio nos feliciter atque perfecte successisse, affirmare audemus: ad hoc enim necesse foret amplam de *voluntario* disputationem instituere, neque hoc tantummodo philosophiae admoto lumine, sed etiam, illudque preecipue, anatomes, physiologiae, psychologiae, psychopathologiae, neurologiae, neuropathologiae, atque psychiatriae (idque praesertim relate ad sexualis appetitus aberrationes formasque degenerativas), praestito subsidio. Harum namque disciplinarum augmentis plurimum temporibus hisce nostris allatum esse nemo est qui ignoret, ita ut hoc iterare opus minime sit. Quae profecto augmenta, si quis cum nostrorum theologorum, fere dicam, intuitionibus conferat, qui in suis investigationibus huiusmodi carebant subsidiis, validiora esse percipiet; quod vero assequi, tempore studioque assiduum laborem exquiret.

Interim nos huius semitae, per istam in sexti decalogi praeceptum elucubrationem, aliquod delineasse vestigium existimamus; idque licet tenue, theologis adiumenti esse certo nobis videtur; quod si illud erroneum non fuerit, viresque haud defecerint, in amplissimam quandoque viam evasurum esse confidimus.

Ingenue tamen fatemur, graves difficultates, quae in tam arduo pertractando argumento occurrerunt, prohibuisse quandoque finis propositi assecutionem; sed tamen, *sub respectu scientiae medicae*, quaestio, prout in praesenti nostrarum cognitionum statu obversatur, absoluta videtur.

Opus aggressi sumus profanis etiam scientiae medicae accomodatum: ideoque ad comminute et plane tradendas locutiones scientificas, ad terminos tecnicos evitandos ita studium adhibitum est, ut et omnes in-

telligerent, et nihil tamen detrimenti obveniret praecisioni, quam exigit scientia.

Propter istas rationes, et quia etiam conclusiones, quae hic exponuntur, fructus quidem sunt personalium investigationum et experimentorum, quae cum aliis a doctioribus traditis sunt comparata, postrema huius operis capita nostris sodalibus utilia fore speramus.

Opera jam edita, in quibus tractationes habentur de psychiatria, nevropathologia, psycoterapia, et praesertim de physiologia et pathologia sexualium manifestationum, plerumque praejudiciis scatent, quorum primum est illud: *sexualem appetitum invincilem esse.* Et licet istae medicorum doctrinae, *theoretice* spectatae, non magni forte faciendae sint, quia maior hominum pars illas ignorat, cum tamen fundamentum constituant pro therapeutica superexcitationis, degenerationis et psicopathiarum sexualium, obidipsum quam maxima bonis moribus nocumenta afferunt. Dum e contra libera a falsis praeconceptis opinionibus mens evidenter demonstrat, castitatem profecto servari posse, fontem extare magnorum pro humano organismo beneficiorum, eiusque absolutam completamque custodiam primam ac necessariam basim praebere ad rite et efficaciter sexuales superexcitationes, degenerationes, psychopatiasque curandas.

Verae igitur scientiae integrum verbum, etiam in re, de qua agitur in praesenti, doctrinae moralis christianae solidam confirmationem suppeditat. Nulla porro concessio, modus aequo minor nullus, nihil sub minoris mali ratione suadetur a scientia, quae ad investigandam veritatem procedit, nubibus cujuscumque praejudicii fugatis.

Hisce itaque de causis utilia fore, quae exposituri sumus, nostris quoque collegis, spes non inanis arridet.

Sed antequam tam gravium quaestionum tractationem aggrediar, liceat mihi opem et patrocinium invo-

care SS. Virginis Deiparae et Matris nostrae Mariae, sine labe conceptae, ut ab omni inquinamento mentis et corporis nos sua virtute tueatur (1).

AUCTOR.

Datum Mediolani, in Conventu Deiparae Immaculatae, festo S. Ludovici Ep. et Conf. O. M. 1907.

---

(1) Auctor grati animi sensus jam exprimit omnibus, sive confessariis, sive medicis, qui animadversionibus, consiliisque ipsum juvabunt.

BIBLIOGRAPHICAE NOTAE [1]

Alexander C., *Sexualhygiene, Frauenproteste und Libido sexuell.*, (Monatsschrift f. Harnkrankh. u. Hygiene, H. 4. p. 163, 1904).

Antonelli, *Medicina pastoralis,* 2. Editio. Romae, 1905.

Arnemann, *Die Anomalien des Geschlechtstriebes und die Beurteilung von Sittlichkeitserbrechen,* (Reichs-Medicinal-Anzeiger, N. 4, 1904).

Aschaffenburg, *Die Beziehungen des sexuellen Lebens zur Enstehung von Nervin und Geisteskrankheiten,* München, 1906.

Baier, J. M. Sailer, *Ueber Erziehung für Erzieher,* Freiburg, 1877.

Bartels, *Das Weib in der Natur und Völkerkunde* von H. Plotz u. Bartels; neue bearb. und herausgeg. v. P. Bartels. Leipzig, 1908.

Barth, *Die Elemente der Erziehung-und Unterrichtslehre auf Grund der Psychologie der Gegenwart,* Leipzig, 1906.

Beale (Sir Lionell), *Our morality and the moral question. Chiefty from the medical side,* London, 1887.

Bellini A. *Venus dolorosa,* Milano, 1906.

Bertillon, *La science et le mariage,* Paris, 1900.

Bioswanger, *Die Pathologie und Therapie der Neurasthenie,* Jena, 1892.

---

(1) Heic dumtaxat memorare voluimus bibliographicas notas eorum operum, quae relate ad praesentem quaestionem postremis hisce annis prodierunt. Augetur in dies literatura de castitate; quia omnes cujuslibet religionis, sectae, opinionis et nationalitatis homines necessitate compulsi sunt ad pravos invadentes mores oppugnandos. Sed quoniam sub rationibus valde diversis haec quaestio agitata est, (physiologicis, nempe, biologicis, psycologicis, socialibus, moralibus, religiosis) et quandoque etiam sub quibusdam exclusivis respectibus, evidens equidem apparet, quod heic citata opera valorem habeant valde diversum, quin immo quaedam ex his legere, nisi, ob gravem et recognitam rationem studiorum, omnino nefas et nequaquam consulendum.

Blackie (I. Stuart), *L'éducation de soi-même intellectuelle, physique et morale,* (traduz.) Paris.

Blanc y Benet, *La moderación de la libidine,* Bercelona, 1905.

Bloch I., *Das Sexualleben unserer Zeit, in seine Beziehungen zur modernen Kultur*, Berlin, Marcus, 1907. (Hujus operis habetur versio italica, cui titulus: *La vita sessuale dei nostri tempi nei suoi rapporti con la civiltà moderna.* Traduzione di Mario Carra, con l'aggiunta di tre capitoli originali di Cesare Lombroso sull'Amore nel suicidio, nel delitto, nella pazzia, Torino, 1910.

Bonald, *Tractatus de virtute castitatis ad usum seminariorum,* Parisiis, 1904.

Borri Prof. Lorenzo, *I rapporti di sesso sotto il rispetto medico-sociale,* Firenze, 1908.

Braun, *Fall von kontrarer Sexualempfindung. Gutachten.* (Vierteljahrschrift f. gerichtliche Medicin. B. XXIX. Suppl. Heft. p. 82).

Butler (Jos. E.) *Souvenirs personnels d' une grande croisade,* Paris.

Capelmann-Bergmans, *Pastoralis medicina,* 5ª edizione, Aachen, 1907.

Chevalier Dr. I., *L'inversion sexuelle,* 1893. Molta documentazione, poco senso critico.

Damian, *Eine aktuelle Frage*, Teol.-pratik. Quartalschr. Jahr 59, H. IV).

Debreyne, *Essai sur la théologie morale. Moechialogie,* Paris, 1847.

Debrayne-Ferrand, *La théologie morale et les sciences médicales,* Paris, 1884.

De Fleury, *Introduction à la médicine de l'esprit,* Paris, 1897.

Descuret, *Medicina delle Passioni,* Milano, 1880.

Donath I., *Zur Psychopathologie d. sexuell. Perversionen,* (Archiv. f. psychiatrie, B. 40, p. 435).

Id., *Zur Psychopathologie d. sexuellen Perversionen,* (Pertes Mediz. Chir., 1904, n. 47).

Dubois, P., *L'éducation de soi-même*, Paris, 1906.

Id., *Les psychonevroses,* Paris, 1908.

Emyeu, *Le gouvernement de soi-même,* Paris, 1906.

Id., *Le rôle de l'habitude dans le gouvernement de soi-même,* Études, 45 an. T. 114.

Ernest E., *La formation de la chasteté, adapté de l'allemand par J. P. Arman Hahn,* Bloud, Paris, 1007.

Id., *La formation de la chasteté,* 4ª ediz. Paris, 1907.

Eschbach, *Disputationes physicologico-theologicae de humanae generationis oeconomia,* ecc., 1884.

Feuchtersleren Ernest (Freiherr v.), *Zur Diätetik der Seele,* 1341, 2ª ed., Halle, 1893.

Féré, *Contribution à la pathologie de la masturbation,* (Annales des maladies des organes genito-urinaires, N. 10, 1905).

Id., *Quelques mots sur l'onanisme,* (Ibid., XXIII, 1905.

Id., *La Castration contre l'inversion sexuelle,* (Revue de Chirurgie, n. 9, 1905).

Id., *L'instinct sexuel. Evolution et dissolution,* Paris, 1900.

Flesch, M. *Prostitution und Frauenkrankheiten.* Hygienische und volkswissenschaftliche Betrachtungen. Frankf. a M., 1898.

Fonssagrives, *L'educazione della purezza, consigli ai genitori e ai maestri,* Roma, Desclée, 1910.

Id., *L'éducation de la pureté,* Paris, 1902.

Id., *Traité de thérapeutique appliquée,* Paris, 1878.

Id., *Dict. Encyclop. de sciences médicales,* tomo V. (Art. Anaphrodisiaques).

Forel, A., *Die sexuelle Frage. Eine naturvissenschaftliche, psychologische, hygienische und soziologische Studie für Gebildete,* München, 1905. Cfr. Trad. It.: *La questione sessuale,* Torino, 1907.

Id., *Alkohol und Geschlechtsleben,* (Berlin. Klin.-ther. Wochenschr. n. 39, 1905.

Id., *Questione sessuale,* Torino 1908 (Compendium operis in bibliographia adnotata).

Förster F. W., *Il problema sessuale nella morale e nella pedagogia,* Torino, Soc. Tip. Ed. Naz., L. 2,50.

Id., *Il vangelo della vita,* Libro per i grandi e per i piccoli, 2 vol. id. id. 1908, L. 4,00.

Id., *Alle soglie della maggiore età,* Traduzione Bongioanni, id. id. 1909, L. 3,00.

Id., *Sexualethik und Sesualpädagogik,* (6 ediz. Kempten, 1907.

Id., *Etica sessuale,* Torino, 1908. (Traductio operis in bibliographia adnotata).

Fouillée *Le caractère et l'intelligence,* Paris.

Fournier, *De l'onanisme, causes, dangers et inconvenients pour les individus, la famille et la société,* Paris, 1876.

Francillon, *Essai sur la puberté chez la femme,* Patis, 1906.

Franz I. S. I., *Die sexuelle Aufklärung d. Jugend,* (Stimmen aus Maria-Laach, 1906, LXX, H. 1).

Freud S., *Sammlung kleiner Schriften zur Neurosenlehre,* Deuticke, Leipzig, 1909.

Freund, *Drei Abhandlungen zur Sexualtheorie,* Leipzig, Deutick, 1905.

Friedländer D., *Entwurf zu einer reizphysiologischen Analyse der erotischen Anziehung unter Zugrundelegung vorwiegend homosexuellen Materials,* (Jahrbuch für Sexuelle Zwischenstufen, VII Jahrg, 1905).

Garnier, P., *Les anomalies sexuelles,* Paris.

Id., *La stérilité humaine et l'hermafroditisme,* Paris.

Id., *La génération universelle,* Paris.

Gillet O. P., *L'éducation du caractére,* Paris, 1908.

Good, *Igiene e morale,* Milano, 1903.

Grasset, *Introduction physiologique à la philosophie,* Paris, 1908.

Grohmann A., *Technisches und Psychologisches in der Beschäftigung von Nervenkranken,* Stuttgart, 1899.

Habrich, *Pädagogische Psychologie,* Kempten 1908.

Havelock Ellis, *The Analysis of the sexual impulse,* (The Alienist and Neurologist, Apr. 1900).

Id., *The sexual impulse in Women,* (American Journal of Der. mat., Marzo, 1902).

Id., *Erotic Symbolism,* (Medicine, Oct. 1905).

Hegar Alfred, *Der Geschlechtstrieb. Eine sozial-mediz. Studie,* Stuttgart, 1894.

Heim A., *Das Geschlechtsleben des Menschen vom Standpunkte d. natürlichen Entwickelungs-Geschichte,* Zürich.

Hendrich, *Adress to men only,* Glascow, 1885.

Herzen, *Science et moralité,* Lausanne.

Hiquer, *Zur Wirkung d. Hyoscin in der Neurologischen Praxis,* (Neurol. Centralb., n. 10, 1905).

Hirschfeld M., *Jahrbuch f. sexuelle Zwischenstufen.*

Keyes, *The sexual Necessity,* (Medical News, vol. 87).

Körning, *L'igiene della castità* Torino, 1907 (trad. dal tedesco di G. Tamburini.

Kraft-Ebing *Le psicopatie sessuali,* Torino.

Id., *Ueber Nervosität,* Graz, 1881.

Kussmaul, *Untersuchungen über das Seelenleben des neugeborenen Menschen,* 2ª ed., 1884.

Laupts, Dr. (pseud.) *Perversion et perversité sexuelles,* 1896.

Le Bon, *Psychologie de l'éducation,* Paris, 1906.

Lely, *L'educazione razionale della volontà e il suo impiego nella cura delle malattie,* (trad.), Palermo, 1907.

Le relèvement social, Organe de la Ligue Française de la moralité publique.

Lewit, *Geschlechtliche Enthaltsamkeit und Gesundheitsstörungen.* Nach Aussprüchen hervorragender Aertze, Berlin, 1907.

Lövenfeld, *Ueber sexuelle Abstinenz,* (Zeitschr. f. Bekämpfung. d. Geschlechtskrankheiten, 1905, p. 230).

Mantegazza, *Igiene dell'amore,* Milano, 1890.

Marion, *La solidarité morale,* Paris.

Marro, *La pubertà studiata nell' uomo e nella donna in rapporto alla antropologia, alla psichiatria, alla pedagogia e alla sociologia,* Torino, 4ª ediz., 1900.

Mayon, *L'éducation des sexes,* Paris, 1907.

Michaelis Hermann, *Die Omosexualitäten Sitte und Recht,* Berlin, 1907.

Möbius, *Die Nervosität,* Leipzig, 1882 e 1885.

Moebius, *Beiträge zur Lehre von den Geschlechts-Unterschieden.* Marhold-Halle (dodici fascicoli usciti a Mk. 1 ciascuno).

Moll Dr. Albert, *Die konträre Sexualempfindung* (1ª edizione 1891, 3ª, 1899).

Id., *Untersuchungen über die Libido sexualis,* Berlin, 1897.

Id., *Les perversions de l' instinct génital,* Paris, Carré, 1893.

Id., *Analyse des Geschlechtstriebes,* (Medizinische Klinik, n. 12, 1905).

Id., *Sexuelle Perversionen. Geisteskrankheit und Zurechnungsfähigkeit,* Berlin, 1905.

Mönkemöller, *Psychiatrisches aus der Zwangserziehungsanstalt.* Zeitschr. f. Psych., vol. 56.

Mourbau-Layrand, *Le médecin chrétien,* Paris, 1901.

Nacke, *Der Traum als feinstes Reagens für die Art des sexuellen Empfindens,* Monats. f. Kriminalpsych. 2 Jahr, p. 500).

Nenadavics, *Geschlechtliche Unempfindlichkeit* (*Anaesthesia sexualis*) (Monatsschrift f. Geburtshülfe, XIX, Iuni, 1904).

Noldin H., *De sexto praecepto, et de usu matrimonii,* Oeniponte, 1907.

Nistrom A., *La vie sexuelle et ses lois,* pref. de A. Marie, Paris, 1910.

Olfers (Von), *Pastoralmedicin,* Freiburg, 1893.

Oppenheim, *Nervosismo,* (trad.), Milano, 1907.

Id., *Lettere psicoterapiche* (trad.), Milano, 1907.

Id., *Lehrbuch der Nervenkrankheiten,* Berlin, 1894, S. Karger, 2ª ed., 1888.

Id., *Notiz zur Uebungstherapie,* Therap. Monats. 1899, Januar.

Oppenheim, *Nervenkrankheit und Lectüre,* Vortrag gehalten am 23 Oct. 1898 in der IV. Versamml. mitteldeutscher Psychiat. u. Neurologen zu Dresden; Zeitschr. f. Nervenheilkunde, Bnd. XIV.

Payot, *L'éducation du caractère,* Revue philosophique, 1899.

Id., *L'éducation de la volonté,* Paris, 1908, 28ª ed.

Pellizzi, G. B., *Igiene della mente e pedagogia,* Discorso inaugurale dell'anno accad. R. Università di Pisa, 1906.

Pouillet, *L'onanismo della donna,* Roma, 1896.

Raciborski, *Traité de la mestruation et ses rapports avec l'ovulation, la fécondation, l'hygiène de la puberté et de l'âge critique,* Paris, 1868.

Raffalovich, *L'uranismo,* Torino, 1896.

Raimondo Ruiz Amado P., *L'educazione della castità*, Torino 1910.

Ribbing Prof. Seved, *Zwei sexuell-hygienische Abhand.* — I. *Die sexuelle hygiene.* — II. *Gesunde Ehen*, Stuttgart 1903 (40° migliaio). (Trad. franc. Alcan, Paris, 1908).

Id., *L'hygiène sexuelle et ses conséquences morales,* Paris, 1895.

Rohleder H., *Die Masturbation, eine Monographie für Arzte u. Pädagogen,* pag. 320, 1899[1], 1902[2].

Roué P., *Les conflicts sexuels,* Paris, 1907.

Saleeby, *La preoccupazione,* Bari, 1908.

Schiller H., *Handbuch der prakt. Pädagogik für höhere Lehranstalten,* 3ª ed., Leipzig, 1894.

Sani, *De sexto decalogi praecepto,* Ravenna, 1904.

Schrunck-Nolùing Dr., *Suggestionstherapie,* 1892. Crede all'efficacia della suggestione come causa e cura.

Scotti, *Catechismo medico,* Roma 1836.

Siegert, *Die Unkeuschheit, Heilung der Onanie und ihrer Folgen,* Berlin, 1899, 3ª ed.

Stahl Silvanus, *Pureté et vérité,* Ediz. di circa 250 pag. l'uno, J. H. Jeheber (Genève), Lib. Fischbacher (Paris), Lib. A. Deurit (Bruxelles).

Ce que tout jeune homme devrait savoir.
Ce que toute jeune fille devrait savoir.
Ce que tout homme marié devrait savoir.
Ce que toute jeune femme devrait savoir.
Ce que tout jeune garçon devrait savoir.
Ce que toute fillette devrait savoir.
Ce que toute femme de 45 ans devrait savoir.
Ce que tout homme de 45 ans devrait savoir.

Surbled, *La morale dans ses rapports avec la médecine et l'hygiène,* tom. II, *La vie sexuelle,* Paris.

Id., *Celibat et mariage,* Paris, 1892.

Surbled, *Autour du mariage,* Paris, 2ª ediz. 1907.

Id., *L'amour.* (*L'amour malade*), Paris, 1905.

Tarde, *La morale sexuelle,* (Archives d'Anthropologie criminelle, n. 157).

Tarchanoff, *L'instinct sexuel,* Paris, 1906.

Taylor, *Patologia e cura delle funzioni sessuali nell'uomo e nella donna,* Torino, 1902.

Tral M., *Sexuelle Moral. Ein Versuch der Lösung des Problems der geschechtlichen, insbesondere der sogennanten "doppelten Moral",* Breslau, 1894.

Tissot, *Dissertazione sulle malattie prodotte dalla masturbazione,* Torino, 1880.

Toulouse, *Les conflicts intersexuels et sociaux,* Paris, 1904.

Trapmann, *I vantaggi della purità,* (trad.) Casteggio, 1907.

Vaschide, et Vurpas, *De l'excitation sexuelle dans l'émotion musicale,* (Archiv. d'Antropol. crim., T. XIX, n. 125, 1904).

Id. Id., *Du coefficient sexuel de l'impulsion musicale,* (Archives de Neurologie, T. XVII, n. 101, 1904).

Viazzi P., *Psicologia dei sessi,* Torino, Bocca, 1903, L. 4,00. Libro non molto profondo e spesso discutibile.

Vigevani G., *Ciò che non si deve nascondere alla gioventù,* Sandron, Palermo, 1898, L. 2.

Wegener Hans, *Wir jungen Männer. Das sexuelle Problem,* Düsseldorf, 1906.

Id., *Noi giovani!* Torino, 1907 (Traductio operis in bibliographia adnotata).

Weninger Otto, *Geschlecht und Charackter,* Braumüller. Wien und Leipzig, 1905, 7 aufl. (pag. XXIII, 608).

Wilhelm, *Das sexuelle Leben unde seine Bewertung in der Erziehung der Kinder,* Donauwörth, 1906.

Wundt, *Grudzüge der physiol. Psychologie,* 3ª ed., 1887.

Zeitschrift für Sexualwissenschaft. Unter redactioneller Mitwirkung von Dr. Friedr. Krauss, Wien und dr. Herm. Rohleder, Leipzig, herg. von dr. Magnus Hirschfeld. Leipzig, Georg H. Wigand's Verlag.

Ziecler, Theod. *Das Gefühl: Eine psycholog. Studie,* Stuttgart, 1893.

Cfr. insuper: St. Tomas, II, II, q. 151-156; St. Alphonsus, l. 3, n. 412-485; necnon Sporer-Bierbaum, Holzmann, Lehmkuhl, Ballerini-Palmieri, Göpfert, Berardi, Génicot ecc., opera theologiae moralis. Cfr. etiam Oppenheim, Obersteiner, Gowers, Kraepelin, Kraft-Ebing, Eichors, Strümpell, Möbius, Morselli, Tanzi ecc., opera psychiatriae et neuropathologiae; necnon Iamer, Iudd, Wundt, Titchener, Mercier, Binet, ecc., opera psychologiae.

Ad eas computationes quas *statisticas* vocant, praeter notiora medicinae legalis opera, sequentes accedunt, quibus etiam usi fuimus:

Dati statistici della città di Milano: annualis publicatio magni ponderis, ubi *statisticae* notae cum ceteris vel saltem praecipuis Italici regni urbibus comparantur.

Pubblicazioni della direzione generale della statistica: quae quotannis eduntur cura Ministerii agris excolendis et commerciis moderandis praefecti.

Statistica delle cause di morte: annua publicatio eiusdem Ministerii cura edita.

Caput Primum

De Sexuali Instinctu.

1. *De sexuali animalium instinctu.* — Procreationis natura. Varietates mediorum ad hunc finem. Procreationis finalitas. Sexualis instinctus natura.
2. *De sexualis hominis instinctu.* — Huius instinctus evolutio; varietates eiusdem.
3. *De sexualis instinctus differentiis in viro et in femina.*
4. *De nerveis centris sexualis instinctus.* — Nervea centra. Eorum functiones.

§ 1. — De sexuali animalium instinctu.

Entium organicorum seriem observantibus, apparet, quod uniuscujusque individui augmentum organicum, ad certum gradum perventum, non ultra procedit; sed reproductionis tunc incipit ratio, ut ejusdem individui species continuetur.

Quilibet organismus vivens cellulis constituitur, seu grumo substantiae protoplasmaticae, nucleum habentis. Maximus potest esse cellularum numerus, sicut ex-gr. in mammiferis: dantur tamen organismi unica constantes cellula, (ex gr. microorganismi, bacteria, protista, amaeba, etc.).

In organismis ex pluribus cellulis constitutis, hae vel aequales omnes esse possunt, vel differentes, ut variae constituantur texturae: quo in altero casu quaedam ex his cellulis reproductioni inserviunt.

Reproductio essentialiter consistit in separatione cujusdam particulae organicae generantis, quae ulterius

evolvitur et progreditur usque ad novi individui formationem, specificam cum generante similitudinem habentis.

Et ita in organismis unicellularibus cellula ipsos constituens scinditur in duas portiones, et tunc reproductio per scissionem habetur; in organismis vero pluricellularibus a paterno organismo cellula sejungitur, multiplicatur, et novo individuo originem tribuit.

Reproductio ita schematice descripta modo uniformi contingit in omni organica serie, at fere semper (1), alius actus ipsam praecedit, videlicet conjunctio seu *conjugatio*, quae essentialiter in duarum cellularum unione consistit.

Si agatur de unicellularibus organismis, tunc duo individua funduntur, et dein ex scissione nova individua originantur: si autem de pluricellularibus, funduntur tunc duae cellulae, sed ad duo individua diversa spectantes. Cum in serie animali texturae differentiam habent, hae binae cellulae vocantur *ovo-cellula* et *masculo-cellula*, vel *nemasperma*, aut *spermatozoon* et in hoc casu *coniugatio* consistit in eo quod *spermatozoon* ingreditur *ovo-cellula*, et post multiplices processus scinditur *ovo-cellula*, multiplicatur, et origo efficitur novi individui.

In pluricellularibus organismis inferioribus utraque cellula, mascula nempe et foeminea, ab uno eodemque individuo praestatur, et tunc perfectus hermaphroditismus habetur; sed in animalibus superioribus utraque cellula a duobus praebetur individuis.

Recentissima studia circa haereditatem et variabilitatem aperte demonstrarunt — licet non clare adhuc

(1) Fere semper, inquam, quia in organismis inferioribus dari potest reproductio per *gemmationem* aut per *scissionem*, absque praecedente duorum individuorum *conjugatione:* et in organismis superioribus quandoque habetur *parthenogenesis*, in qua *ex ovo-cellula* non foecundata novus oritur organismus.

pateant processus intimi et complexi, quibus finis attingitur — (1) conjugationem directam esse ad corroborandam activitatem vitalem, quae exauritur, ut ita dicam, ab augmento continuo (ne facultas accretionis et multiplicationis in cellulis extinguatur). Substantiis albuminoidis duorum individuorum permixtis, permiscentur quoque characteres anatomici, et physiologici; ex quo sequitur major accomodationis vis difficilioribus ambientibus conditionibus. Natura enim nos docet, quod ubi conjugatio cessat, ibi reproductio tabescit, et deinceps etiam quo tempore possibilis est, deficit, atque hoc modo vita et speciei continuitas extinguitur.

Haec autem necessitas conjugationis manifestat potentem attractionis legem, quae est causa reproductionis in tota vegetali et animali serie.

Sed uti bene intelligitur, penes organismos, quorum individua unam tantum sexualium cellularum qualitatem habent, species infallibiliter extingueretur, nisi cellulae masculae activo totius individui motu foemineas attingerent cellulas. — Et hoc pacto, inquit *Forel*, phoenomenon producitur, quo desiderium crescendi et procreandi, solius cellulae masculae proprium ab origine, fit proprium etiam systematis nervei, quod ab aliis texturis in his animalibus differt. — Ideoque, prosequitur idem auctor, in systemate nerveo individui excitatur ardens desiderium ac vis potenter impellens versus alterum sexum. Studium et ardor sollicitus de propria conservatione, quae hucusque totius existentiae occupationem formaverant, novo huic stimulo cedunt. Desiderium procreandi omnibus aliis praestat. Dominatur appetitus, cupido accedendi ad sexus diversi individuum,

(1) Cf. Gemelli, *L'enigma della vita e i nuovi orizzonti della biologia.* Firenze, 1910, Libreria Editrice Fiorentina; quo in opere fuse describuntur hujusmodi phoenomena, et amplissima prostat discussio de hypothesibus quoad haereditatem et variationem.

ipsumque amplectendi, et efformandi cum ipso per contactum et penetrationem individualitatem physiologice unam (1).

Quanti momenti sit penes naturam haec sexualis proclivitas ad speciei conservationem, demonstratur ex varietate mediorum, quibus natura ipsa utitur ad coniugationem obtinendam. Opera Forel, Fabre, Wasmann legere sufficiat ut intelligatur, quomodo natura finalitati sexualis instinctus penes insecta providerit; idem de aliis animantibus dici potest. In superiori animantium gradu sexualis instinctus magis implexus exstat ob maiorem vitae sensitivae evolutionem: atque in homine ipsa intelligentia materiam addit vitae sexuali, quae tantum characteris psychici acquirit, quantum characteris physiologici amittit.

Ita summis lineis descripta natura et finalitate sexualis instinctus quoad seriem organicam, patet sexualem instinctum stimulum illumvitalem esse, qui omnem individualem experientiam praevertens, ad quosdam actus externos, uniformes, coordinatos, et conservationi speciei necessarios perficiendos individuum ipsum adigit.

Sexualis instinctus communes habet cum aliis instinctibus hos characteres: omnem individualem experientiam praevertit, et nihil est aliud, quam acris incitatio, et stimulus internus ad actum sexualem inclinans. Consistit praeterea in motu determinatos actus externos complectente, ad invicem coordinatos, et ad speciei conservationem per procreationem directos (2). A cete-

---

(1) Non hoc tamen perperam intelligatur, quasi in individuo admittenda necessitas sit appetitum sexualem explendi. V. inf. Cap. 3, par. 6. Haec enim necessitas non individuum sed speciem respicit, quatenus nempe per ipsam providetur conservationi speciei.

(2) Cfr. Fabre, *Nouveaux Souvenirs entomologiques*, Paris 1882; Wasmann, *Instinkt und Intelligenz in Tierreich*, 3. ed., Freiburg i. Br., 1906.

ris vero instinctibus differt per hoc, quod vitae organicae individuali non est necessarius. Dum enim apis, ex-gr. ut prospiciat mellis productioni curaeque nympharum, alvearia necessario construere debet, sicut et castor proprias casulas, atque ammophilum, ut nutriat suam prolem, oportet certam vermium speciem peculiari modo incidere, (haec sunt exempla quaedam relate ad instinctus necessarios conservationi vitae individualis) nullum prorsus animal e contra debet ex necessitate propriae vitae servandae reproductioni consulere. Completa est enim ejus organica vita absque actu sexuali, qui unice tantum ad speciem conservandam ordinatur.

Veritas haec adeo est manifesta, ut nulla videatur demonstratione opus esse: et tamen non defuerunt, qui eam impugnare conati sunt, ita ut argumentum assumerent contra ecclesiasticum coelibatum. Sed optimam quidem mirabilemque rationem jam attulerat D. Thomas inquiens: « Dupliciter aliquid est debitum: Uno modo ut impleatur ab uno; et hoc debitum sine peccato praeteriri non potest. Aliud autem est debitum implendum a multitudine; et ad tale debitum implendum non tenetur quilibet.... Praeceptum datum de generatione respicit totam multitudinem hominum, cui necessarium est non solum quod multiplicetur corporaliter, sed etiam quod spiritualiter proficiat. Et ideo sufficienter providetur humanae multitudini, si quidam carnali generationi operam dent; quidam vero ab hac abstinentes, contemplationi divinorum vacent, ad totius humani generis pulchritudinem et salutem; sicut etiam in exercitu quidam castra custodiunt, quidam signa deferunt, quidam gladiis decertant; quae tamen omnia debita sunt multitudini » (1).

Huiusmodi est, veluti summis descriptus lineis, character vel aspectus sexualis instinctus penes organicam

(1) II, 2ae, q. 152, a. 2. Insuper notandum est, quod copula in tantum dicitur necessaria, in quantum ordinatur ad conservationem speciei.

seriem. Modo aliquid de sexuali animalis instinctu delibare praestat. In primis igitur quoad ejus naturam, mechanice, ut ita dicam, inspectam, dicendum, quod, sicut coeteri instinctus, iste quoque constat (ut ex studiis de instinctibus in genere demonstrarunt Forel, Fabre, Loeb, Morcier, Wasmann, etc.) multiplici et complexa motuum serie, qui reflexi et coordinati determinate sibi succedunt.

Haec autem ordinata reflexorum actuum series sedem habet in primigeniis centris nerveis: (quae penes mammiferos, ut infra videbimus, locantur in spinali medulla) et hoc demonstratur ex facto, quod gryllus, cerebro etiam privatus, potest copulari, dummodo et usquedum inritationes, quae *sensoriales associatae* vocantur, pervenire possint ad centra nervea sexualia (Yersin); quod etiam confirmat experimentum Goltz, in cane, cui cerebrum ademptum fuerat.

Heic quoque, sicut et in aliis instinctibus, perceptio exterior actualis, vel interna actualis sensatio est causa excitans imaginationem; excitatio autem producta, et ipsa actio imaginativa causae sunt activae, quibus alia causa sociatur, (passiva seu subjectiva) a dispositione naturali praestita, quae cujuscumque animalis speciei propria est. Supponere possumus excitationes producere determinatas imagines, quae desiderium excitant determinans ad actionem.

Asserere igitur liceat cum Mercier, sexualem instinctum a vi naturali pendere, quae valet associare imagines determinatas, (*potere naturale d'associazione d'immagini, pouvoir naturel d'association des images, sinnliche vorstellungs associationsvermögen)* et cujus objectum sunt, in quolibet momento, operationes ab animali peragendae, ut instinctivus actus perficiatur (1).

---

(1) Cfr. Mercier, *Psychologie,* Louvain, 1905; Wasmann, *Instinkt und Intelligenz tn Thierreich*[3], Freiburg, 1906.

Hujusmodi autem vis imaginativa variabilis esset juxta speciem animalium, et coarctaretur eorum relativis exigentiis: rationem vero essendi haberet in intrinseco individui vel speciei fine, quatenus nempe exigitur pro speciei conservatione.

Hinc facile est intelligere, quomodo hujusmodi imaginationum associationes efformantur. (*Associazioni di immagini, associations des images, vorstellungsverbindungen*). Statim enim ac sensitiva excitatio, (*eccitazione sensitiva, excitation sensitive, sinnliche Aufreizung)* animal percellit, ante quamlibet individualem experientiam sponte suscitatur in ipso determinata imaginum associatio; et hoc, (animadvertit *Mercier*) *Syntesis a priori* appellaretur a Kant.

Talis modus instinctum intelligendi praebet nobis rationem, qua cognoscimus, cur, licet uniformis, non sit tamen instinctus absolute firmus et immutabilis.

Et revera, ex perceptione recepta determinata sequitur imago, determinatusque motus, et si perceptio varietur, et imago et motus correlative variantur. Isti autem motus vicissim generant musculares sensationes, spontaneam determinantes novarum imaginum et motuum formationem. Quo pacto actus haud mechanico et coeco modo (uti Romanes, Bezze, Uextiulill, Loeb etc. autumant) sed *ex quadam cognitione et voluntate* (uti Reimarus, Ioly, Mercier, Wasmann etc. docent) (1) ordinatim succederent.

Et sic adducimur ad admittendum, quod fundamenti instar pro instintibus extat *spontanea associationis potentia* (*potenza spontanea di associazioni, puissance spontanée d'association, unwill kurliche Associations vermögen)* vel *introspectio subsciens*, ut dicit Forel, (*introspection subcoscient, introspezione subcosciente*) (2).

(1) Cfr. Mercier, *Psych.*, Part. I, n. 127.

(2) Cf. quod tradit Emus Mercier, circa huius instinctus comparationem cum doctrina Scholasticorum de vi *aestimativa*. (*Psych.*,

Iamvero, quoniam hujusmodi potentia fini animalis adstringitur et subordinatur, facile factum explicatur, quo instinctus novis et minime praevisis circustantiis (1) sese accomodare nescit, et aliud factum, ipsius nempe instinctus interruptionem, quando motibus reflexis constituta catena perrumpitur.

Quod autem de instinctibus in genere dictum est, et de appetitu sexuali dicendum, prout sese offert in serie animalium. Fundamentum enim sexualis appetitus est circumscripta associationis potentia, quae facile ipsius manifestationes explicat.

Notandum vero est, animalis instinctum sexualem, sicuti etiam instinctus ceteros, facultate actuali carere modificandi actus, qui a solo cerebro pendent. Et hoc in homine quoque contingit; sed quum horum actuum intensitas augetur, ipsi appetitus devincunt, et influxum exercent in facultates psychicas superiores (2).

Part. I, n. 127). Scripserat autem S. Thomas, (2. dist. 20, q. 2, a. 2): « Ad quintum dicendum, quod animalia non prosequuntur conveniens et fugiunt nocivum per rationis deliberationem sed per *naturalem instinctum aestimativae virtutis* ». Et Suarez, (*De Anima*, l. 3, c. 30, n. 7): « Aestimativa describitur sensus interior potens apprehendere sub ratione convenientis et disconvenientis..... haec siquidem operatio communis etiam est omnibus animantibus..... cuius munus est *movere appetitum sensitivum*, qui nonnisi a ratione convenientis vel disconvenientis movetur. Ideo ergo aestimativa dicitur, quia de rebus ipsis *aliud aestimat* quam quod exterius apparet ».

Quomodo doctrina Scholastica de vi aestimativa cum modernorum psychologiae doctrinis comparata, conveniat, optime demonstrat Wasmann, *Instinkt und Intelligenz in Tierreich*, Freiburg in Br. 1906, pag. 23 seq., quod opus primum evulgatum est italico idiomate cura sac. Boni: *Istinto ed intelligenza nel regno animale*, con prefazione del dott. fr. A. Gemelli.

(1) Meminerit lector, quod apis inutiliter adlaborat, si opus ab ipsa incoeptum et nondum completum destruatur, quia nec illud reparare, nec de novo valet inchoare.

(2) Grasset clare demonstravit hujusmodi praevalentiam psychismi inferioris in superiorem, itemque inferiorum in centra psychica superiora.

Recte hac in re animadvertit Forel, quod sub tali respectu necesse est, sexualem hominis appetitum investigare, ut rite comprehendatur; quia si amor, et omnia cum amore conjuncta, quae objectum efformant inquisitionis et studii, ad animam nostram pertinent, *qua talia*, a secundaria tamen sexualis appetitus quadam irradiatione procedunt. Sexualis enim appetitus excitat ad formandas ideas sexuales; et istae sua vice ab attentione conscienti, aliis ideis sociata, elaboratae, in sexualem appetitum potenter agunt, sive ipsum evolvendo, sive comprimendo, sive attrahendo, sive repellendo, sive denique ejus attributa et objecta immutando.

Heic vero quidam exponendi sunt conceptus nonovissimis hisce diebus prolati a Sigmund Freud, qui fervens in pluribus studium excitarunt. De his tamen fusius, prout foret necesse, examen instituere nequaquam intendimus, sed simpliciter aliquid innuere in lectoris commodum; nam etiam apud Italos Freud haud levem est consecutus favorem.

Hujusmodi igitur opiniones nihil aliud sunt, nisi quorundam applicatio conceptuum, quos jam idem auctor ediderat, ad nervei systematis morbos. Is enim ex talium morborum investigatione gradatim eo adductus est, ut existimaverit activitatem psychicam conscientem et subconscientem, tamquam sufficientem rationem non utique semper introspiciendi intimas causas, ex quibus morbi procedunt, sed optime quidem explicandi pluribus in casibus ipsum mechanismum, quo varia oriuntur et firmantur sympthomata, et quo haec removeri quandoque etiam possint.

Paullatim itaque elaboravit sic dictam *psycho-analysim*, i. e. methodum specialem ingeniosam satis complexamque, directam ad statum subconscientem explorandum, et conditiones anormales amovendas, quae multos impediunt aegrotos ab harmonicis per psychem peragendis functionibus.

Ope igitur *psycho-analysis* ostendere conatus est Freud, quod hysterica necnon nevrasthenica quaedam symptomata ex conflictu proveniunt, qui contingit inter aegroti conscientiam et inclinationes instinctivas, vel *complexus* idearum et rememorationum, quae valida pollent *firmitate atque tensione affectiva.*

Ex hujusmodi autem conflictu consequeretur expulsio (*Verdrängung*) ab ipsa conscientia illorum *complexuum*, qui nequeuunt cum ea conciliari; unde emotionalis impressio, cohibita sed non destructa, abnormiter prosiliret sese convertendo in sympthoma hystericum.

Variae equidem sunt modalitates hujus mechanismi, qui *conversio* appellatur, quique sedulo admodum et minute investigatus est a Freud, cujus multae opiniones fundamentum habent in illo. Istae vero opiniones peculiarem adeptae sunt evolutionem ob earum applicationem ad studium de sexualitate. Putat enim Freud, intimam adesse connexionem inter psycho-neuroses atque sexualitatem, pluresque insuper neuroseos formas a sexualitatis alterationibus pendere.

Inter ejus opera tres peculiari dignae consideratione habentur monographiae in volumen unum colletae, cui titulus: *Drei Abhandlungen zur Sexualtheorie.* (Leipzig und Wien, F. Deuticke, 1905).

Harum prima agit de *sexualibus anomaliis*, quas Freud distribuit in duas classes supremas, quarum una respicit *objectum sexuale*, (personam nempe, quae sexualem exercet attractionem) altera vero *finem sexualem* (actum videlicet, ad quem incitat instinctus).

Aberrationes ad objectum sexuale spectantes essentialiter consistunt in *inversione* (omo-sexualitate). Expendit autem Freud formas valde differentes, quas inversio assumere potest; varias ad trutinam revocat theorias, quae ad ipsam explicandam propositae sunt, praesertim vero theoriam degenerativam; et, quin omnia penitus declarare praesumat, originariae cujuscum-

que individui *bisexualitatis*, certis confirmatae anathomicis atque ontogeneticis factis, theoriam amplectitur et explicat.

Normalis itaque evolutio reponenenda esset in transitu de bisexualitate ad instinctum eterosexualem praevalentem, dum e contra inversiones haberentur ex diversis hujus evolutionis irregularitatibus.

Altera vero anormalitatum classis, in deviationibus consistens *finem sexualem* respicientibus, (communiter cognitis sub nomine *perversionum*) in varias series dividitur. In primis porro sic dictae habentur *trangressiones anathomicae*, quae proveniunt sive ex pertinacis amoris excessu erga quaslibet physicas et psychicas amati qualitates, sive ex varietatis cupidine; consistuntque in usu, ad sexualem finem directo, illarum corporis partium, quae ad illum non sunt naturaliter ordinatae. Supremus harum perversionum excessus in sexuali habetur *feticismo* erga objecta inanimata.

Altera autem series consistit in unice et fixe adstruendis finibus venereis praeliminaribus, (*fissazione di scopi sessuali preliminari*) seu, in fine sexuali ultimo reponendo in actibus illis, qui nihil aliud normaliter sunt, nisi quaedam ad veneream satisfactionem praeparatio.

Denique voluptas habetur in infligendo vel patiendo dolorem et vexationes in ordine ad actus sexuales; et haec voluptas perversiones illas constituit quae *sadismus* vel *masochismus* nuncupantur, et quae, ex aliqua saltem parte, considerandae sunt tamquam exageratio atavici sexualis instinctus aggredientis.

Omnes tamen hujusmodi perversiones produci nequeunt, antequam naturalia desierint impedimenta opposita, videlict, pudor, fastidium, et horror quoad primam et secundam anormalitatum seriem; et quoad *sadismum* etiam commiseratio; quoad *masochismum* vero sensus doloris, et ipsius, (hoc quoque est addendum), personalis dignitatis.

Insuper hujusmodi conflictus inter instinctus et inhibitiones effectus quoque diversos habere possunt, prout definitiva harum vel illorum superveniat victoria.

Et revera, ex inhibitionum victoria consequitur quandoque vere proprieque dicta sexualis instinctus *sublimatio*, qui idcirco in altiores spiritualesque affectus transformatur. De hujusmodi processu, qui maximi quidem momenti est, atque sexualis quaestionis solutionem continet, inferius sermo redibit.

In aliis vero casibus, quando nempe inhibitiones inter et intensam atque anormalem *libidinem* (hac voce disignat Freud lato admodum sensu sexualem instinctum) conflictus contingit in subjectis nerveo constantibus systemate peculiari modo praedisposito, verificatur violenta, abnormis ac imperfecta *libidinis* repressio, ex qua consequenter varii gignuntur status morbosi. Hoc autem accidit ob supradictum mechanismum *conversionis* in symptomata organica illarum inclinationum, quae cum reliqua personalitate conciliari nequeunt. Tale vero phoenomenon verificari, juxta Freud, in ipsa hysteria jam vidimus.

Hysterica igitur symptomata consistere dicenda essent in sexualibus inhibitis ac repressis inclinationibus, generaliter natura perversis. Quod a Freud hac formula reassumitur: *Hysteria est ratio opposita et negativa perversionum.*

Praeterea Freud per psyco-analysim ad aliud factum admittendum pervenit, quod ejus doctrinae magni quidem refert, videlicet, *sexualitatem infantilem.*

Haec vero secundae monographiae argumentum praebet. Atque in primis Freud notat factum illud sat singulare per tot saecula communiter ignoratum de sexualitate infantili, illudque explicat admittendo quamdam *amnesiam* vel oblivionem illius partis vitae infantilis, quae decurrit usque ad sextum vel etiam octavum aetatis annum.

Hujusmodi autem amnesia, quae, juxta Freud, generale est et penitus normale foenomenon, profluueret ex insurgentibus instinctuum infantilium inhibitionibus; similisque alteri dicenda esset, quae violentam *complexuum affectivorum* inconciliabilium repressionem in neuropathicis concomitatur.

Non est hic locus exponendi demonstrationem de sexualitate infantili, quam proponit Freud analysim insituens transformationis *suctus*, qui, primitus ordinatus ad lactentis nutritionem, sibimetipsi deinceps finis evadit, tamquam sexualis fons voluptatis, quemadmodum fontes voluptatis pro puerulo essent etiam tactus et perfricationes circa varias zonas *erogenas*, necnon quidam rhitmici motus.

Nam quamvis haec omnia cum sexualitate connexa affirmari legitime non posse videantur, factorum tamen summa, quae Freud affert ad suam opinionem sustinendam, non est equidem negligenda; sed quodammodo inducit ad admittendam existentiam sexualitatis infantilis nonnulla habentis ligamina cum ipsa sexualitate, licet minori quadam mensura, ac quam Freud propugnat.

Insuper in infantili sexualitate sequentes adinvenit Freud characteres: *Auto-erothismum*, seu voluptatis consecutionem absque alterius concursu, et *polimorphismum*, seu variabilitatem modorum, quibus obtineri potest voluptas. In normalibus puerulis hujusmodi erotismus naturaliter sat debilis est, et facile inhibetur ex pudore oboriente, fastidio, sensibusque moralibus ex educatione, licet non exclusive, praecipue tamen profluentibus. Ex his incipit, justa Freud, *periodus latentiae*, plus minusve completa, ipsius sexualis instinctus, quae usque ad pubertatis perdurat aetatem.

Sed in nonnullis pueris adeo anormaliter intensae praecocesque habentur sexuales hujusmodi inclinationes, ut earum inhibitio difficilius habeatur, neque valeat ad

impedienda, quae remanent, germina, ex quibus produci possunt, juxta casus diversos, multiplices perturbationes et anormalitates, ex. gr, masturbatio, pollutiones, incommoda vesicalia, atque insuper hinc quidem variae perversionum formae, illinc vero alia atque alia neuropathica symptomata. Quae duo postrema saepe saepius consequuntur propter accedentes seductiones et sexualia ab aliis personis inducta traumata, quibus hujusmodi pueri facilius, quam ceteri, exponuntur.

Tertia denique Freud monographia agit *de transformationibus pubertatis.*

Harum autem praecipua consistit in evolutione zonae genitalis; quae licet potissima sit inter ceteras erogenas zonas, non omni tamen sua carent activitate et reliquae; munus enim exercent adjuvandi functionem genitalem per sic dictam *voluptatem* praeparatoriam. Cum hujusmodi vere mutationibus sociatur *detectio sexualis objecti.* Sciendum insuper est, quod in periodo infantili *auto-erotismus* non est absolutus. Et revera, cum intimae extent relationes inter emotionalem et physicam rationem amoris, affectus parentum et erga parentes profundum exercet in puerulum influxum, qui in ordine ad futuram ejus sexualitatem definitivum constituit momentum. Unde, pubertatis tempore, nova amoris forma, juxta Freud, flecteret se in alterius sexus parentem, nisi ex una parte etichae obstarent inhibitiones, et ex altera progressivus a genitoribus recessus, saepe saepius ex conflictibus proveniens, qui ob propriam exoriuntur personalem adolescentis dignitatem, ad sui affirmationem magis atque magis tendentem, necnon ob intellectualis et moralis independentiae exigentiam.

Hoc autem confirmatur a Freud ex facto, quod neuropatici jam a pueritia excessivam ac insatiabilem experiuntur necessitatem recipiendi a genitoribus blanditias

aliasque amoris testificationes; nec pubertatis tempore hujusmodi exigentiam amittunt : quin immo plerumque quamdam retinent affectivam erga parentes dependentiam, infantilem praeseferentem characterem.

In addita denique ad tres monographias conclusione, perpendit Freud naturam et momentum originariae, quae in variis personis inveniri potest, sexualis constitutionis; iterumque, perpluribus expositis particularitatibus, de diversis loquitur effectibus, qui consequi possunt ex vitae sexualis evolutione. Quoad duos vero hujusmodi effectus, perversiones, nempe, necnon perturbationes nerveas, quae profluunt ex abnormi sexualium inclinationum repressione, inter alia subjungit, quod in utroque casu exaggeratus observari potest sexualis vitae infantilis influxus, necnon *stabilitas* (*fissabilità*) ob praedominium, quod in activitatem psychicam validius exercetur a praeteritorum memoria quam a praesentium impressionibus.

Tertia tandem, eaque maximi quidem momenti, transformatio aptitudinum sexualium appellatur a Freud *sublimatio.*

Per eam porro ipsae energiae in alia atque in alia ita tendunt objecta, ut notabile psychicae activitatis producatur augmentum. Quod clare patet praesertim in operum artis productionibus.

Inter sublimationis insuper varietates illa profecto censenda est, quae dicitur *formatio reactiva;* ob quam perniciosi impulsus, prout idem auctor docet, im morales inclinationes oppositas transformantur.

Hujusmodi ideae *Freudianae*, illaeque potissimum de sexuali puerorum vita, acerrimas controversias excitarunt.

Atque in primis nonnulli animadverterunt, sexualitatis ideam, invectam a Freud, latius patere, ac quae communi usu recepta est.

Praeterea, prout Forster (1) ostendit, ipse Freud nimium exclusive res consideravit sub respectu psychiatrico, excessivum tribuendo valorem deformitatibus sexualis appetitus, necnon gravitatem et frequentiam, quae revera nequaquam existunt. Ethicos etiam neglexit conceptus, quos magnam sphaerae psychico-sexualis partem esse haud est ambigendum.

Iure insuper meritoque animadvertit Assagioli, quod Freud nimis extollit facta, quae ipse detexit. Quod evidenter apparet ex vita sexuali infantili, circa quam Freud tales exposuit opiniones, quae ob suam paradoxalem naturam pervividam oppositionem concitarunt. Praesumpsit enim tamquam normam illud statuere, quod nonnisi raro admodum contingit in paucis puerulis abnormibus.

Nec minus omnem superat credibilitatem alia ipsius Freud assertio, *quamlibet* nempe psycho-neurosim a sexualis vitae perturbationibus gigni. Et dum optime quidem negat excessivam gravitatem, quae communiter tribuitur nimio intellectuali labori, tamquam causae perturbationum nervorum, plus aequo ceteroquin negligit psycho-pathogenam actionem aliorum multorum instinctuum, motionum passionumque, quae a *libidine* utique differunt, sed valent, quemadmodum ista, ad producendas per psychica traumata sive violenta, sive per habitudines inducta, graves perturbationes tum nerveas tum mentales.

Nostra vero mens non est ulteriori subjicere examini Freudianam doctrinam. Satis igitur sit exposuisse ejus paradoxalem adspectum, ut ratio omnibus constet, propter quam eam amplecti nequaquam nobis fas esse videtur (2).

---

(1) Forster opus edidit, cui titulus: *Neurose und Sexualethik* (in Hochland, 1 Dec. 1908).

(2) In eorum utilitatem et commodum, qui hujusmodi quaestionis studiis incumbunt, opera citantur, in quibus Freudianae ideae

Nos itaque de instinctu sexuali, prout manifestatur in homine, et qui sexualis appetitus vocatur, tractationem nunc aggredi oportet.

§ 2. — De sexuali hominis instinctu.

Sexualis instictus exurgit, quum glandulae sexuales completam evolutionem assecutae sunt, et mediantibus anatomicis complexisque processibus, capaces evadunt functionem propriam peragendi ac normalem perficiendi secretionem; quod, ut scitur, pubertatis tempore accidit. Ab initio sat indeterminate manifestatur instinctus,

---

agitantur: Abrakam (Karl). — *Das Erleiden sexueller Traumen als Form infantiler Sexualbetätigung.* Zentralblatt für Nervenheilkunde und Psychiatrie, 1907, 2 Novemberheft. *Die psychologischen Bäziehungen zwischen Sexualität und Alkoholismus.* Zeitschrift für Sexualwissenschaft, 1908, n. 8. *Die Stellung der Verwandtenehe in der Psychologie der Neurosen.* Jahrbuch für psychoanalytische und psychopatologische Forschungngen, I, 1909, S. 110. Freud (Sigmund). — *Drei Abhandlungen zur Sexualteorie.* Leipzig und Wien, F. Deuticke, 1905. Freud, *Sammlung kleiner Schriften zur Neurosenlehre*, I, Leipzig und Wien, F. Deuticke, 1906. Jung (C. G. *Ueber die Psychologie der Dementia praecox.* Halle, C. Marhold, anno 1907. Cf. praesertim caput: *Der gefühlsbetonte Komplex und seine allgemeinen Wirknngen auf die Psyche. Die Bedeutung des Vaters für das Schicksal des Einzelnen.* Jahrbuch für psychoanalytische und psycopathologische Forschungen. I, 1909, S. 155. Rank (O). — *Der Kiinstler. Ansätze zu einer Sexualpsychologie.* Wien und Leipzig, H. Heller u. C., 1907. Cf. praeterea: Assagioli, *Le idee di Sigmund Freud il quale queste idee ha fatto conosere in Italia per il primo* (*Voce* 10 febbraio 1910). Quoad methodos psycho-analiticos legantur: Dott. Luigi Baroncini (nella *Rivista di Psicologia applicata,* IV, 1908, n. 3). Dott. Gustavo Modena nella (*Rivista sperimentale di freniatria,* XXXIV, 1908, n. 3-4). Assagioli, *Rivista di psicologia applicata,* maggio-giugno del 1910; qui novam hanc methodum in Italiam divulgarunt. Cf. insuper: *Jahrbuch für psychoanalytische und psychopathologische Forschungen.* Leipzig und Wien, F. Deuticke, 1909. Hujus methodi cultores binos coetus egerunt, unum anno 1908 Salzburgi, alterum 1910 Nurembergi.

sub forma nempe organicarum sensationum; deinceps vero sub influxu tum cognitae transformationis, quam genitalia quoad externam quoque formam subeunt, tum relationum socialium, necnon lectionum etc. oriuntur in juvene eroticae ideae, organicae sensationes intensiores fiunt, et actuum, qui ad reproductionem sunt necessarii, notio efformatur. Ita certae aetatis periodo, quae varia esse potest juxta conditiones organicas ac sociales, verus sexualis instictus assignatur.

Uti facile intelligitur, hujusmodi vitae periodus talis est, ut eo magis intensa institutoris vigilantia esse debeat, quo maxime ipsa dirigitur ad impediendum exitialem influxum tum excitantium lectionum, tum perniciosae relationis socialis.

Hac aetatis periodo potest institutor quam copiosos sui operis colligere fructus; quoniam hoc sane momentum est, quo sensus et stimuli organici rationi subjiciendi sunt: et propterea sat grave inconveniens videtur, quod juvenes sibimetipsis ex integro relinquantur in negotio tam maximi momenti (1).

Sexualis instinctus in sua evolutione magnam formarum seu typorum varietatem praesefert, quae diversae sexualium organorum anatomo-physiologicae evolutioni connectitur.

Recentioribus studiis demonstratum jam est, glandulas ad generationem necessaria elementa producentes (*nemaspermata et ovula*) alias quoque substantias elaborare, quae, in circulum sanguineum diffusae, praegrandem in totius organismi evolutionem influxum exercent. Hujusmodi effectus, qui *secretiones internae* appellantur, organismi transformationem pubertatis tempore determinant. Et revera, foeminae corpus, prima *ovulatione* incoepta, peculiarem formae evolutionem acquirit, et periodicus instituitur e genitalibus sanguinis fluxus.

---

(1) Cfr. inf. cap. 5 pag.

(*menstruatio*) In viro autem fit profundior vox, pili apparent in vultu et in pube, pollutiones incipiunt etc. In utrisque vero indoles maxime immutatur. Foeminae pubertas decimumtertium inter et decimumquintum aetatis annum *plerumque* incipit; *plerumque* dicitur, quia tantae variabilitati haec obnoxia est epocha, ut aliquandiu octo quidem annorum puellae non defuerint jam menstruatae. In viro autem serius pubertas evolvitur, decimoquinto nempe aetatis anno.

Nonnulli existimant, adolescentium institutorem necesse esse ita se gerere, ut ignorare videatur hanc vitae nostrae partem pergravem, quae est vita sexualis. Nos autem e contra putamus, quod incipienda sit ad puritatem educatio eo praecise momento, quo simul cum pubertate, exurgunt primi atque potentes quidem sexuales instinctus. Et revera, si certum est, quod naturalis sensus pudoris, qui cum sexuali instinctu una simul exurgit, ordinatur ad ipsum moderandum, necesse est etiam agnoscere, quod hodiernis temporibus tam intensi sunt stimuli externi, tamque citius operantur, ut vehementiorem sexualis instinctus actionem reddant, ideas afferendo, quae potenter agunt relate ad gignendam libidinem.

Psychiatrae unanimiter conveniunt admittentes, psycopathias sexuales, — gravissimam humani generis luem, et magis diffusam quam communiter putatur, omnesque sociales classes inficientem — ab hac humanae vitae tam perdifficili periodo sumere initia. Et sane, hoc praecipue tempore incipiunt sexuales psycopathiae acquisitae, sexualesque degenerationes, quarum essendi ratio in contractis pubertatis tempore habitibus malis invenitur.

Omnes vero pubertatis notae, videlicet, sexualium organorum explicatio, stimuli intensitas, organismi evolutio, indolis immutatio, etc. quando apparent, notabiles praeseferunt variationes, quae relationem habent ad loci temperiem, ad stirpes, et ad conditiones sociales;

et quidam autem influxus exercetur etiam a statibus nonnullis morbosis, ut ex gr. anemia in puellis.

Genitalium glandularum *functionalis periodus*, cum ad apicem pervenerit, declinat: hocque sat citius in muliere, quam in viro contingit. In muliere enim ovulatio cessat vigesimo octavo, vel trigesimo circiter anno a pubertate: quo tempore ovaria, et omnia organa adnexa *involutionis* processum subeunt; menstruus desinit fluxus, et deinceps integer quoque organismus processui *involutionis* subjicitur. In viro autem genitalium glandularum *functionalis* periodus diuturnior est, tardiorique aetate persistere potest. Animadvertendum vero, quod etiamsi terminum habeat glandularum genitalium *functionalis* periodus, stimuli tamen sexuales non cessant; sed tunc non a genitalibus organis proveniunt, sed sunt originis psychicae.

Sexualis autem dum permanet vita, stimulus in viro varios habet intensitatis gradus, quos auctores nonnulli a spermatis cumulo vel consumptione pendere censent; sed hac in re nil certi habetur. Putandum potius hujusmodi varietates a valde complexis et nondum bene determinatis causis profluere.

Ita ex. gr. qui castitatem colunt, primo tempore stimulis laborant frequentibus; sed postea, licet non intensitas, frequentia tamen diminuitur propter abstinentiam; illi autem e contra, qui vita sexuali abutuntur, etsi haud valde intensos, frequentes nihilominus stimulos patiuntur. Certum vero est, quod hujusmodi varietates directe dependent et a socialibus conditionibus, et a functionibus nervei systematis, et a conditionibus phychicis, organicis, et ab organica immutatione et a morbis, etc.

Addendum denique est, quod in muliere intensior stimulus habetur *ovulationis* tempore, qui maximum in menstruationis termino gradum attingit.

§ 3. — **De appetitus in viro foeminaque discrimine.**

Sexualis appetitus valde diversam induit formam in viro ac muliere. Hujus facti rationem adinvenire possumus primo in diversitate constitutionis organicae, sed dein potissimum in officii discrimine, quod relate ad generationem alter et altera adimplent.

Quoad virum quippe animadvertendum cum Forel, quod quemadmodum ipse activum in copulatione elementum praestat, ejus propterea sexualis appetitus, seu melius, coitus desiderium, certo certius, in conditionibus normalibus, vehementius quam illud mulieris habetur.

Quaenam igitur est sexualis viri appetitus natura?

Ut huic quaestioni respondeatur, hujusmodi appetitus genesim exponere oportet. Ut vidimus, proprius appetitus sexualis stimulus ex spermate oritur, quod in seminalibus vesiculis cumulatur: sed putandum vero non est, hujusmodi mere organicam excitationem potissimam esse. Praecipuus quippe, priorque, qui in virum agit, est stimulus sensuum. Sed in hoc mirum aliquid accidit. Primis enim sensuum stimulis occasionem non praebet foemineus sexus in genere : sed in adolescentulum, cum puber evadit, ea sexualiter influunt, quae in foemina singularia et insueta habentur, aspectus videlicet quarumdam corporis partium, quae ordinario cooperiuntur, vestes et ornamenta venusta, speciales odores, et mulieres, quas videndi consuetudinem adolescens non habet. Propter istam rationem, animadvertit Forel, appetitus puerorum qui nutriuntur in sylvis (*selvaggi*, *sauvages*) parum vel nihil a puellarum nuditate excitatur, et vehementer e contra, ex aspectu foeminarum, quae vestibus vel ornamentis specialibus sunt indutae.

It . sexualis Maumethanorum appetitus ex nuditate foeminei visus potenter excitatur.

Sed simul ac cum organicae constitutionis evolutione evolutio quoque sensationum sphaerae sexualis progreditur, tunc normaliter virum excitant apparentes in foemina floridae valetudinis et decoris formae, foeminam vero viri robur.

Praeterea, dum primae sensationes indeterminate habentur, ita ut confuse quid cognitum impellat adolescentem versus alterum sexum, hujusque cupidum efficiat, paullatim sexualis appetitus in actu venereo concluditur.

Hucusque, quod est animale, sexualis appetitus exhibuit: sed paulo post imaginum associationes, harumque multiplicatio et varietas, novis quoque ideis advenientibus, viri erga foeminam desiderio adiungitur psychicum elementum, cujus manifestatio extat amor. Et ita intellectus et cor potenter agere in sexualem appetitum incipiunt. In capite sequenti, quando sermo erit de sexualis appetitus varietatibus, hujusmodi influxum distinctius examinabimus; modo sufficiat factum innuisse.

Notandum vero, quod licet sexualis appetitus cum amore confundatur, non ita tamen intime conjungitur alteri alter, ut separari ab invicem nequeant.

Sympathiae enim sensus, quos nobilis amor producit, adsociantur gratitudinis, et intellectualis moralisque communionis ideis, atque in diversam plane viam ab illa, ad quam tendit sexualis appetitus, conducunt.

Iure quidem animadvertit Forel, quod in hujusmodi casibus binae in uno eodemque individuo animae reperiuntur, quae plus minusve ab invicem separatae inter seipsas luctantur.

Et ita casus verificantur, in quibus licet vir uxorem tenero diligat affectu, et etiam aextimatione prosequatur, minime tamen ab ipsa se sentit ad sexualia allici.

Et dantur quidem alii, iique feliciter rarissimi casus, in quibus, praedictis existentibus sensibus, vir aliarum foeminarum venereas experitur illecebras. Hisce in casibus sexualis appetitus est mere animalis instinctus, qui potenter excitatur a libidinosis aspectibus, a formis etc. — uno verbo a sexuali foeminae specie, quam nullo amoris vel aextimationis sensu vir ille prosequitur. Haec exempla sunt, quae ostendunt sexualem appetitum omnino opponi — oppositione plus minusve pro individuis intensa — ipsi amori.

Sed animadvertendum insuper est, quod in intensitatem, formam et evolutionem sexualis appetitus permagnum exercet influxum haereditas, eaque potissimum *morbosa*.

Quoad sexualem vero mulieris appetitum sequentes notandi sunt characteres.

In actu sexuali foemina passive se habet.

Sed hoc non obstat, sicut et carentia in ipsa seminalis ejaculationis, quin innumerae cum appetitu virili analogicae rationes existant. Et re quidem vera, clitoridis erectio, sensationesque voluptuosae, quae hanc concomitantur, secretio glandularum *Bartolini*, ipsaque venerea convulsio totidem phoenomena sunt, quae correspondentem voluptatem constituunt.

Praeterea, si foeminae appetitus inspiciatur, iste frequentiores, quam in viro, et etiam notabiliores varietates exhibet. Nam plures sunt mulieres, quae sexuali appetitu omnino carent, quibusque coitus displicet, vel saltem ad illum indifferentes se habent. Plerumque insuper in foemina sexualis appetitus tardius valde ac in viro evolvitur, voluptatisque sensus a primo dumtaxat coitu persaepe excitatur.

Hic praeterea foeminae appetitus notabiliter modificatur, atque ab alio intensificatur instinctu, videlicet procreationis, qui vehementior in foemina quam in viro

reperitur, quemque necessitas comitatur, qua foemina passive se dedere, vinci, subjugari cupit.

Hujusmodi negativae cupidines, merito notat Forel, quamdam partem constituunt sexualis appetitus, qui foeminae normaliter inest.

In viro e contra, licet sexualis appetitus in coitus voluptate minime exclusive consistat, sed huic adiungatur filios procreandi plus minusve consciens cupiditas, hujusmodi tamen desiderium nec nobilitate nec eadem intensitate, uti in foemina, gaudet. Hujus discriminis ratio in noxio consuetudinum socialium nostri temporis influxu forte est reponenda; sed hoc verum tantum ex parte est, quia erga filios amor et paternus instinctus teneri admodum inveniuntur in viro.

Postremo tandem inter virum et foeminam discrinem non parvi momenti hoc est, quod nempe foemina appetitum sexualem ab amore separare nequit, quod non contingit in viro, qui, ut vidimus, cum diversis personis unum vel alterum explet: dum in foemina e contra hujusmodi dualismus quam rarissime, ac semper contra naturam habetur.

§ 4. — De nerveis sexualis instinctus centris.

Circa hanc quaestionem infra fusius disseremus: sufficiat nunc nonnullas statuere notiones anatomicas et physiqlogicas, quae ad instinctus sexualis physiologiam intelligendam sunt necessariae (1).

Nervea centra, quae functionibus sexualibus praesunt, extant in medulla spinali: ista autem centra mediantibus fibris nerveis *afferentibus* necnon *efferentibus* colligantur cum cortice cerebrali, ad quem propterea

(1) Quoad organorum anatomicam descriptionem conferantur communes medicinae pastoralis tractationes. Neque istae inutiles putentur: necessariae quippe admodum sunt ad opportuniora contra incontinentiam remedia stabilienda.

perveniunt stimuli sensitivi, et a quo proveniunt stimuli motores.

Dum itaque excitatio sexualis perdurat, ad sexualia organa copiose affluit sanguis *arteriosus*, simulque sanguinis venosi defluxus minuitur. Hujuscemodi factum causat, praesertim in viro, erectionem.

Initiale phoenomenon in notabili sanguinis arteriosi affluxu consistit: qua de causa arteriae organi externi, ad reproductionem ordinati, dilatantur, vique fortiori pulsant. Id autem efficitur per nerva *erigentia*, quae *efferunt* stimulum motorem a centro nerveo erectionis, ad quod excitatio pervenerat deportata a sexualibus organis mediantibus fibris nerveis sensitivis.

Profecto vero non ita simplex mechanismus habetur, quemadmodum in praesenti descripsimus: at plura particularia prosequi non vacat, quia ad finem propositum inutilia forent.

Hoc unum notabimus, erectionis centrum reperiri (Goltz, Eckhardt) in spinalis medullae portione lumbari, et locum occupare intermedium inter cerebrum et genitale apparatum. Centrum hoc autem duplici modo excitari potest; vel per excitationes peripherícas, quae ad ipsum adducuntur per sensitiva sexualium organorum nerva, vel per stimulos centrales, qui proveniunt vel a cortice cerebrali, vel a tota portione *axis cerebro-spinalis*, quae super ipsum extat.

Praefati stimuli peripherici sunt variatissimi generis, puta, zonae genitalis et perigenitalis titillationes, impressiones tactiles mediantibus aliis organis perceptae, visivae, auditivae, olfactivae et etiam degustativae, quae sexualem habent characterem, voluptatisque sensum. Eamdem actionem efficere quoque valent variae organismi conditiones morbosae, uti, diversi spinalis medullae morbi, (ex gr. ipsius medullae tumores) ejusdem laesiones, ((ex gr. in suspendio) et quaedam substantiae, (ex gr. muscarina). Excitationes insuper procedunt a

morbosis aliorum organorum formis, quales habentur inflammatorii uretrae processus (*gonorrhaea*) intestini recti inritationes (haemorroides et praesentia vermiculorum, quae frequenter in pueris et nutricibus inveniuntur) inritationes etiam vesicae, (ejudem repletio in mane speciatim, vexicales calculi etc.....) genitalium hyperemia (quae verificatur praesertim in iis, qui vel habituali alvi adstrictione laborant, vel sedentariam vitam ducunt, vel diu supino ventre jacent); atque tandem ob glandulae prostraticae morbum (prostatites, praesertim in senibus).

Intima habetur inter corticem cerebralem et organa genitalia connexio, quae per cerebellum, medullam spinalem et nerveas fibras constituitur. Quod explicat, quomodo psychica activitas individui in sexualem functionem tantopere influat.

Cerebrum vero duplicem potest actionem exercere in medullae spinalis centra, quae sensus organis praesunt, excitantem nempe vel inhibentem.

a) Cerebrum directe agit praedicta centra excitando, sive cum processus genitalium organorum anatomo-physiologici (secretio spermatis, ovulatio, hyperemia) impulsus transmittunt, qui suscitant ex phantasmatibus turpes vel sexuales ideas; sive cum exteriores causae, puta, lectiones, objecta, personae etc. menti exhibent voluptuosas ideas, corticem cerebralem excitantes.

Nec mirum alicui hoc videatur. Eodem enim pacto, quo ex verecundia vel ira dilatantur corporis vasa per inritationem centrorum quae *vaso-dilatatoria* dicuntur, ita quoque sexualis quaelibet idea per cerebrum, et inductionis medullae spinalis vias, excitationem producit in centrum erectionis, et per hoc in nervos erigendos. Nec quis iterum inde miretur; quoniam, ut omnes norunt, intime connectuntur cortex cerebralis et vasa localia. Quod melius etiam explicatur ex facto, quod probabilius erectionis centrum subordinatur tamquam centro dominanti, *vaso-dilatatorio*.

Ab hoc enim ad illud fibrae nerveae decurrunt, quae utrumque connectunt, per spinalem medullam, ideoque intelligitur, quomodo determinari possit erectio per hujus inritationem etiam in aliquo puncto admodum alto.

Morbosa porro excitatio haberi potest, quando cerebri cortex est inritativi processus sedes.

b) Cerebrum exercere potest in centra genitalium organorum actionem quoque inhibentem, prout demonstratur experimento Goltz; qui a canibus, quorum, sectione medullae lumbaris peracta, *excitando partem mutilam periphaericam*, poterat erectionem facilius obtinere. Ceterum inhibitoria cerebri vis super ista centra pluribus factis comprobatur. Scimus enim violentas emotiones (ex gr. timorem non efficiendi coitum, metum, etc.), necnon voluntatem ad erectionem impediendam vel retundendam valere.

Sed existit ne in cortice cerebrali aliquod centrum ad functionem hanc ordinatum?

Videtur affirmandum ex quibusdam factis, quae centrum olfactivum inter et sexualem intimam relationem ostendunt; quae relatio evidens potissimum est in nonnullis mente alienatis. Frequentissime quippe habentur allucinationes olfactivae in *psychosi* manstur-bationis, quemadmodum etiam in *pyschosibus* productis ex foemineorum genitalium morbis vel *menopausa*; dum tales e contra allucinationes raro contingunt in *psychosibus*, quibus deest fundamentum sexuale. Sed nostrae tamen cognitiones insufficientes adhuc sunt ad hujuscemodi centrum constabiliendum.

Hisce itaque studiis circa mechanismum functionis instinctus sexualis expositis, aliquid de hujus instinctus patologia innuere opportunum foret; sed, pro ampliori ejus dilucidatione lectorem remittentes ad speciales tractatus, facta tantummodo expendemus majoris momenti, cum de actuum carnalium causis sermo erit.

Caput Secundum.

De caussis sexualis appetitus.

(De sexualis appetitus physiologicis atque pathologicis varietatibus).

1. *Tractationis causarum necessitas.* — Caussae remotae et caussae proximae. Caussae physiologicae et caussae pathologicae.
2. *Caussae organicae:* 1) De temperamentis. — Temperamentum et constructio morphologica. Correlatio functionum. Temperamentum eroticum. Haereditas et characteres acquisiti. — 2) De caussis organicis localibus. — 3) De causis organicis generalibus.
3. *Caussae externae.* — Alimentatio, loci temperies, causae variae.
4. Causae pathologicae. Sexualis instinctus perversio. Sexuales inversiones.
5. *Conclusio.*

§ 1. — Tractationis causarum necessitas.

Ut possint utiliter media cognosci et applicari, quae medicina et hygienes ad compescendos sexualis instinctus impulsus exhibent, absolute necesse est excitationis sexualis causis studere. Ex earum quippe determinatione statuere licebit, quaenam hygienica ac therapeutica remedia adsint, quibus in singulis casibus uti quis debeat.

Hujusmodi conceptus, hodiedum sat nobis obvius, certissimam repraesentat doctrinam, quam medicina et hygienes nostris tantum adhuc prope temporibus acquisivere.

Nobis itaque datum erit ex cognita alicujus phoenomeni physiogenesi et pathogenesi rationem concludere, qua anormalis organismi activitas coadjuvetur, morbosorum agentium operationes praeveniantur, et qua denique remedia opponantur contra alterationum organicarum et functionalium effectus.

Studium de causis ad impulsiones sexualis instinctus spectantibus, quoad biologum, resolvitur in studium de causis proximis. Ut enim animadvertit Doc. Blanc y Benet, primam et remotissimam libidinis causam necesse est esse ipsam vitae causam, materiam nempe anima rationali informatam; sed praeter istam aliae causae habentur, quae proximae sunt, et possunt vel sedem habere in ipso organismo (*causae organicae*) vel ad ambientes conditiones externas spectare, (*causae externae).* Hae duae postremae causarum categoriae in sexualem instinctum influunt, variationes ipsius determinando: harumque studium propter rationes praedictas medici maxime interest (1).

Causae organicae producunt in organismo necessarias conditiones, quibus possibiles vel etiam faciles redduntur actus sexuales; aut possunt (modo tamen solum abnormi) agere tamquam stimuli sexuales interni. Excepto hoc altero causarum minus frequentium genere, conditiones organicae per se non sufficiunt, ut sexualis appetitus exurgat; opus porro sunt causae externae, quae tamquam stimuli agunt, efficientes ut potentia, inquit *Blanc y Benet*, reducatur in actum.

Causae *externae* duplicis possunt esse speciei, prout vel materiam praebent ideis voluptuosis, vel directe agunt in organismum. Hac ratione, dicit prefatus auctor, intelligitur, quomodo adolescentes in specialibus po-

(1) Notatum volumus, quod istae *improprie causae* appellantur. Ex harum enim studio cognoscimus tantum *modum, quo* evolvitur et variatur ob diversa coefficientia sexualis appetitus, at nequaquam intrinsece determinamus *propter quid*.

siti circumstantiis paternae vigilantiae, educationis etc., innocentiam servare potuerint aetate quoque jam non parum provecti; et qua re genitalem apparatum excitari eo tempore tardius contingat, ac quo excitatum esset, si individuum in aliis versatum fuisset circumstantiis. Hinc facile eruitur, quam necessarium sit ad castitatem servandam utramque causarum hujusmodi classem sedulo inspicere.

§ 2. — De causis organicis.

Organicas causas perscrutantibus statim quaedam sese exhibet consideranda prima distinctio, quae magni facienda est, quia ex ipsa nostrae disquisitionis limites praefiniuntur.

Causae organicae duplicis sunt speciei: *physiologicae* et *patologicae.*

In praxi vero, ut melius infra videbitur, determinare, quousque aliquod phoenomenon effectus sit physiologicarum, vel patologicarum causarum, difficile admodum est. Sicut enim inter sanitatis et aegritudinis statum tam minimi aliquando gradus intercedunt, ut fines definiri nequeant, ita pariter inter causas physiologicas et morbosas tam diversi et innumeri habentur gradus, tamque minimis varietatibus signati, ut impossibile identidem sit judicare, quinam normales sint, vel secus.

Morbus enim et sanitas, necnon physiologicae et pathologicae manifestationes adeo intime connectuntur, ut diutius inter pathologos vexata quaestio de aegritudinis definitione et conceptu solutionem concordem nequaquam obtinuerit.

Ob hanc igitur considerationem includendas existimo in enumeratione causarum, quae impulsum exercent in sexualem instinctum, causas quoque morbosas: et ita causarum prospectus completus habebitur.

Distinctio vero inter causas physiologicas et pathologicas rem quandam valde notabilem in mentem revocat, quae cum quaestione, quam pertractamus, intimam habet connexionem, quamque necesse est perscrutari, antequam studium aggrediamur circa causas sexualis appetitus. Haec nempe est gravissima de temperamentis quaestio, ideoque agendum:

1) *De temperamentis.*

Quid sunt temperamenta?

Existitne realiter quod « *temperamentum eroticum* » vocatur? Et si realiter existit hujusmodi temperamentum, quo homo quandoque intensiori praeter normam gradu inclinatur ad sexuales appetitus satisfaciendos, vel quo vehementiores habentur ipsi stimuli interni, retinerene debemus tale temperamentum tamquam factum morbosum?

Meritum fuit professoris De Giovanni ostendere, morphologiam applicatam studiis de *individualitate* ad splendidas conclusiones adducere. « Simul ac perspicis, ita clar. clinicus Patavinus, nexum, qui inter phoenomenon quoddam physiologicum certamque variationem corporeae formae, seu figurae interest, illico lucidus quidam intuitus menti affulget: ex quo empirica notio et hippocraticum axioma, fere obliterata, reviviscunt, et una cum deductionibus recentioris analysis nectuntur atque illustrantur.... Morphologica ratio omnibus constat elementis (anatomo-pathologico, clinico, etiologico), singulorum momenta perpendit, eoque tendit, ut adaequate componat clinicam notionem, imo naturalisticam dicam » (1).

---

(1) « Appena t'accorgi del nesso che passa tra un dato feno-
« meno fisiologico ed una data variante nella forma del corpo, ri-
« corre alla mente quasi un lampo di chiaroveggenza per cui la
« nozione empirica e l'assioma ippocratico, quasi obliati, si rin-
« novellano e si intrecciano con i risultati delle analisi moderne

Criterium hoc morphologicum, mirabili syntesi a cl. De Giovanni expositum, dirigere valde efficaciter nos potest in stimulorum sexualis instinctus causas internas normales perscrutandas; ideoque illud adhibebimus, quamvis non eousque tantum urgentes, quantum eminenti huic clinico placuit.

Ut vidimus, sexualis vitae aequilibrium per hoc habetur, quod voluntas sua potentia inhibitoria super stimulos agit ipsius sexualis appetitus. Major quippe horum stimulorum violentia, et minor ex parte voluntatis resistentia rationem reddunt variationum, quas penes plura individua sexualis appetitus praesefert.

Debemus vero admittere, sicut ex anathomicis et physiologicis investigationibus, quas hic referre non vacat, certissime constat, quod quibusdam anathomicis variationibus illae variationes ligantur.

Olim equidem, quando medicina ab anathomia et physiologia illustrata non erat, quatuor admittenbantur fundamentalia temperamenta, quae speciales, in organismo humano dominantes, humores repraesentabant. Obsoletam autem hanc conceptionem *humoralem* amplecti hodie non licet, sed affirmari tamen potest quod de facto in unoquoque organismo specialis habetur individualis constitutio, cui correlative respondet individualis item functio organorum. Humanus organismus variis organorum apparatibus (*apparecchi*) constituitur: unumquodque vero organon et unaquaeque textura ac cellula, functionibus propriis et specificis harmonice conspirant ad generale aequilibrium in organicis functionibus servandum. Idealis aequilibrii physiologici perfectio ab integra, constanti et perpetua uniuscujusque cellulae functione promanaret; sed haec nunquam realiter habe-

« e se ne illustrano.... la ragione morfologica si costituisce di tutti « gli elementi (anatomo-patologico, clinico, eziologico), di ciascuno « studia l'importanza ed aspira così a comporre la ragione clinica « esatta, direi anzi, naturalistica ».

tur. Complexi processus biochimici, qui continuo evolvuntur, vitalesque constituunt manifestationes, inter variationes plus minusve notabiles fluctuant, necnon plus minusve a norma recedunt. Praeterea aequilibrium anatomicum perfectum nequaquam existit. Praevalentia alicujus texturae, (ex gr. texturae lymphaticae) aut alicujus organi (ex gr. jecoris), major vel minor evolutio determinati apparatus (ex gr. apparatus circulatorii), major minorve resistentia harum texturarum, organorum et apparatuum correspondentes variationes determinant in morphologica constitutione; ita ut videamus singula individua propriam formam vel aspectum praeseferre quoad constitutionem et relativam functionem organorum; talem, inquam, formam, quae ab ideali perfectione plus minusve recedit, simulque majorem vel minorem anormalitatem attingit.

Accedit insuper, quod anatomica constitutio, et functio hujus vel illius organi propria, in evolutionem et actionem aliorum organorum influunt: existit nempe intimus inter varia organa nexus, qui correlatio vocatur. Si igitur consideremus, quod ultima harum variationum ratio a diversa individuorum constitutione morphologica dependet, in ipsa quidem morphologia criterium ad homines in varias classes distribuendos invenire debemus (1).

---

(1) Hisce de caussis descriptioni, quam de temperamentis tradidit Dr. Surbled, subscribere nequeo: iste enim differentiae rationem characteres inter et temperamenta in nerveo systemate solummodo ponit. (Cfr. Surbled, *Le temperament*, Paris, 1900, et refutationem eiusdem auctoris quam scripsit doct. Bonnifay, *Le temperament et ses rapports avec le caractère.* (Bullet. de la Société médicale de S. Luc. S. Cosme et S. Damien, N. 3. A. 13., Aout 1907) nec non Meschler S. I., *Bildung des Carahters,* Stimmem aus Maria-Laach, Juli 1907), qui diligens de characterum genesi examen instituit.

Plurimas observationes perutiles collegit Guibert, *Le caractère,* Paris, 1905, necnon Fr. W. Forster, *Sexualethik und Se-*

In his autem classibus, tamquam peculiaribus characteribus praeditum, temperamentum eroticum seu genitale reponitur. Hujusmodi temperamentum habetur, quando functionalis activitas genitalis apparatus quadam pollet praeponderantia. Ipsum vero substratum anatomicum speciale supponit. Praeponderantia enim in evolutione unius ex nerveis centris, genitalis apparatus innervatoribus, vel praeponderantia evolutionis in viis spinalia centra inter se associantibus vel cum corticalibus centris, majorem determinant facilitatem in nervea stimulorum conductione, vehementioremque sexualium stimulorum excitationem.

Praeterea, uti Blanc y Benet recte notat, glandula seminalis, secretionem producens ultra normam, non modo genitalem rythmum immutare, sed ulterius etiam in ipso appetitu characteristicam formam imprimere potest: major quippe secretionis internae quantitas majorem valet sexualium centrorum excitabilitatem determinare. Insuper systema circulatorium magis evolutum efficiet, ut sexualis appetitus valde diversus sit quoad intensitatem in uno quam in alio individuo, in quo minus evolutum illud systema reperiatur.

Deficientes adhuc sunt cognitiones nostrae, ita ut individuorum temperamento erotico pollentium characteres morfologicos determinare haudquaquam valeamus: cognitio tamen, quam possidemus, sufficiens esse potest ad rem nostram; quia satis per ipsam demonstratur, quod diversitatibus illis, quae in constitutione morphologica individuali apparent, sexualis appetitus variationes correspondent.

Magnum hujusmodi facti momentum neminem fugere certo potest: ad nos autem quod attinet, utpote qui me-

---

xualpädagogik, Kempten, 1907. Cfr. insuper scripta psychologorum (Mercier, James, Hoffdinf, etc.) nec non cultorum pedagogiae (Habrich, Barth, etc.) et philosophiae moralis (Cathrein).

liora media inquirimus, quae in lucta adversus incontinentiam nos adjuvare valeant, illud negligere gravis error esset. Certum siquidem est, ut recte animadvertit cl. Antonelli (1), « maximam esse actionem organicae constitutionis in actus morales et intellectuales hominis, et ab illa valde pendere indolem, ingenium, individualem characterem, ad varias virtutes impulsus, ad vitia et passiones maiorem vel minorem facilitatem etc.....: ita ut *per se* dici possit talem plerumque esse, qualis temperamento efficitur. Dicimus *per se*, quia multae causae possunt temperamenta pro variis adiuntis optime corrigere et etiam mutare; quales sunt bona ac christiana animi institutio, rerum bonarum lectiones, honesta mentis distractio, boni ac pulchri iusta aestimatio, vitiorum ac malarum passionum horror, sensus pietatis ac timoris Dei, exercitationes physicae, ludi honesti, quibus animi recreantur, piorum operum praxis et Sacramentorum frequentia, scholae educativae et christianae et, in genere, omnia illa, quae animum recte occupare et distrahere valent ».

Et revera, si adeo in vitam moralem influunt omnes constitutiones, facile cogitare quis potest, quam ingens erotici temperamenti influxus esse debeat: infelicitatem ipsum profecto pariet, ut ait Doct. Blane, cuilibet individuo, quod eo afficitur; sexualis quippe appetitus inusitatam violentiam acquiret, atque in appetitus ceteros praeponderantiam, necnon contra ipsam voluntatem majorem resistentiam exercet. Hinc autem eruitur, quanti sit momenti practica quaedam conclusio, numquam satis repetita, quod nempe si hujusmodi facti ratio a confessario et judice habenda est, ut in proprio tribunali suam unusquisque sententiam ferat justitiae conformem, haud minus quidem necesse est, eos, quibus juvenum moderatio concreditur, toto animo in-

(1) *Medic. Pastoralis*, editio altera, Vol. I, n. 325.

cumbere, ut ipsorum adolescentium temperamentum agnoscant, (maxime autem temperamentum geneticum tempore praesertim puberbatis) validisque, quae Religio suppeditat, mediis utantur ad praestituti finis consecutionem.

Sed ut recte in hujusmodi negotio procedatur, horum temperamentorum genesis est recolenda.

Et in primis, nullum est dubium, quin in re de qua agitur, inter principales influxus ille quoque sit recensendus, quem exercet haereditas.

Et sane, haereditatis leges, ab Abb. Mendel constitutae, et a Correns et Tschermak iterum recognitae, rationem praebent intelligendi, quomodo in unoquoque nostrum paterni et materni characteres cumulentur et distribuantur. Subtiles embriologiae inquisitiones, opera potissimum Flemming, Hertwig, Boveri et Delage, circa haereditatis mechanismum novam lucem attulerunt. Studia *somatometrica* Galton praesertim, necnon Davenport, Darbishire, Pearson, aperte demonstrarunt, ob quamnam rationem noster organismus illam habeat organicam formam, quae ex unione morphologicorum parentum nostrorum avorumque characterum resultat.

Nil mirum proinde, si cum systemate nerveo valde excitabili nascimur, itemque cum apparatu tum circulatorio faciliter vulnerabili, tum genitali stimulis admodum obnoxio.

Ceterum licet haereditas validissime influat, temperamentorum tamen existentia ex ipsa sola explicari non potest.

Characteres siquidem acquisiti ad aggravandam vel sublevandam libram accedunt. Inter notabiles vero causas, quibus acquisiti characteres debentur, numerantur illae profecto, quae in vitam intrauterinam agunt. Sed de erotico temperamento dumtaxat loquendo, tamquam causae principales habendae sunt, quae pubertatis tempore suam exordiuntur actionem.

Hae autem sunt, quae sexualis appetitus functionem extimulant, inibitoriam voluntatis, ratione illustratae, facultatem deprimunt, atque ideo corruptos, necnon, quod Deus avertat, sexuales delinquentes homines efformare brevi tempore possunt.

Vitae quippe consuetudines, sexualium voluptatum abusus, inhonestae conversationes, exempla prava, lectiones obscoenae, habitus non refraenandi passiones, mediaque negligendi, quae Religio et scientia ad appetitus compescendos suppeditant; ipsa tandem alimenta, vitae genus etc., totidem sunt perniciossimae acquisitorum characterum causae, qui proprie ad temperamentum eroticum seu genitale spectant.

Notiones itaque istae elementares efficiant, ut qui eroticum temperamentum haereditarunt, magni faciant Crucis potentiam; et qui virtuosum sexuali appetitui resistendi habitum non cognoscunt, salutari sibi monito utantur.

2) *De causis organicis localibus.*

Causae organicae, seu *internae*, *locales* aut *generales* esse possunt.

Causae internae *locales* reducuntur ad alterationes anatomicas, vel functionales variorum organorum, genitalem apparatum constituentium. Quae externa generationis organa respiciunt, excitationem abnormem *directe* determinant in sensus terminationibus, *reflexe* vero, in centris spinalibus et corticalibus genitalium.

Principales enumerabimus:

a) Anatomicae alterationes clitoridis in foemina; *phimosis* et *paraphimosis* et *hyspospadia* in viro; *erniae inguinales*, *hermaphroditismus* impedientia coitum causae sunt carnalium actuum indirectae, quia qui his afficiuntur, sexualibus stimulis non carent, quibus satisfaciendi modum a norma diversum exquirunt.

b) Parasiti, ex. gr. *oxiuri*, albi nempe vermiculi, qui in ampulla rectali viventes titillationem procurant in periphaericorum nervorum terminationibus; quidam fungi, qui in foeminae vagina vegetari possunt, variaeque cutis parasitariae affectiones.

c) Processus inflammatori uretrae, prostatae, vaginae, uteri; haemorrhoides, coprostasis, calculi vesicales, et inflammatorii vesicae processus.

d) Causae internae seu organicae dari quoque possunt ob laesionem aliarum partium genitalis apparatus; praecipue vero illarum portionum nervei systematis, quod praeest. Nam, ut vidimus, sexualibus organis directe praesidet nerveum centrum in spinali medulla positum, quod *centrum genito-spinale* vocatur, et cum aliis medullae centris et nerveis cerebralis corticis cellulis sua vice connectitur.

Varia experimenta demonstrant, quod, cum centrum hoc spinale a superioribus centris separatur, major est ejus excitabilitas; hoc autem probabiliter ex eo accidit, quod superiora centra inhibitoriam actionem in ipsum exercent.

Manifesta igitur ratio apparet, cur ex omnibus in nerveis centris superioribus alterationibus, vel ex iis, quae associationum continuitatem corticalia inter et spinalia centra interrumpunt, major sexualis excitatio sequatur.

Ad rem jure quidem observat doct. Blanc y Benet: « Casus onanismi (masturbatio) (1), insatiabilis in quibusdam dementibus vel idiotis huic alterationum generi saepe debentur, quae, minori licet gradu, in apparentis tamen valetudinis statibus etiam admitti possunt ».

Magni quoque momenti adest testimonium Vigult et Iolyet ab eodem auctore relatum: « Causae omnes, quae minuunt vel auferunt cerebralem activitatem, et laesio-

(1) Animadvertendum, quod a medicis *onanismi* nomine significatur id, quod vulgo *masturbatio* vel *mastupratio* nuncupatur.

nes potissimum, quae medullae spinalis continuitatem interrumpunt, eamque ex toto vel ex parte ab encephalo separant, excitationem medullarem reflexam augent..... Setschenow admittit, cerebrum continere centra medullae potentiam reflexam moderantia ».

Idemque doct. Blanc: « Supponamus non suppressam sed diminutam quidem ex alterationibus congenitis vel acquisitis, quae componi possunt cum valetudinis statu, ipsam medullae cum cerebro continuitatem, et tunc cerebrum virtutem moderatricem, sibi propriam, exercere non amplius valebit in potentiam reflexam genitalis centri medullae spinalis, quod proinde excitabilius evadet, et sexualis erethismi phoenomena pariet, ob quae jure meritoque inter internas libidinis causas includi etiam oportet alterationes superiorum centrorum systematis nervei ».

Hoc vero accidit *in tabe dorsali* vel saltem in ejus primis periodis, in *sclerosibus* funicolorum lateralium, in variis formis *paralysis spasticae*, in *paralysi progressiva*, atque in pluribus casibus tumorum medullam et cerebrum afficientium.

3) *De causis organicis generalibus.*

Non minoris momenti, quam locales, sunt causae organicae generales.

Cum variis generalis debilitationis statibus quaedam sensitivorum, praesertim sexualis, appetituum major intensitas conjungitur. Insigne quoad rem habetur exemplum in tuberculosi; idemque factum in initio etiam diabetis verificatur, et in quibusdam chloroseos gravioribus casibus, necnon et in aliis.

Quaenam sit actio mechanica, quae hunc effectum operatur, nescimus: posse tamen contingere mihi videtur ex eo, quod toxinae, ex hujusmodi morbis processibus in circulationem immissae, in centra spinalia et corticalia excitantem actionem exerceant.

Hac duntaxat ratione tuberculosorum erethismus, major sensibilitas generalis, et ceteri effectus explicari possunt.

Notabilem vero hic habent partem nervei systematis morbi. Ut vidimus, affectiones locales in variis sectionibus axis circulo-spinalis abnormem excitationem sexualem determinare possunt.

Simili vero modo mechanico agunt generales morbi systematis nervei.

Sed speciales considerationis objectum, quod ad neuro-pathologum attinet, esse debent evolutionis suppressio vel inhibitio, (*arresto di sviluppo*) epilepsia, hysterismus, neurastenia, dementia senilis, paralysis cerebralis progressiva.

a) In casibus inhibitionis evolutionis, vita sexualis plerumque parum est evoluta, quin immo in vere idiotis prorsus deesse dicenda est: nihilominus tamen in infelici istorum vita periodicae erumpunt identidem excitationes abnormes, ad quas explendas media illi adhibent absque ulla consideratione.

Hisce in casibus simul cum deficientia, atque interdum totali etiam moralis absentia sensus, deficit quoque conscientia de gravitate sexualium actuum violentium, quos ipsi patrantur.

In imbecillibus e contra major sexualis appetitus vis cum vegetiori organica evolutione, quam saepe praeseferunt, una simul procedit. Quoniam autem voluntas parvam in his casibus inhibitoriam potentiam exercet, statim intelligitur, quomodo tam facile ad explenda sexualia desideria se praecipitent. Notandum vero, quod etsi imbecillibus ideae morales deficiant, de immoralitate tamen actuum sexualium, quos illi committunt, fere semper sunt conscii. Hujusmodi autem factum judex et confessarius — licet circumstantias quam maxime attenuantes propter intellectualis evolutionis deficientiam admittere debeant — prae oculis tamen semper habeant.

b) Haud raro sporadica quaedam sexualis excitatio, necnon sporadica, violentaque appetituum sexualium explosio in *dementia senili* contingit; quod rarius accidit in aliis casibus debilitatis mentalis, quae acquiritur ob gravem laesionem, emorrhagiam cerebralem, et cerebri emollitionem.

c) Peculiaris momenti est *paralysis cerebralis progressiva.*

In statu prodromico, et in statibus episodicis exagitationis, sexualis habetur excitatio.

« Eodem modo, quo in formarum senilium prodromis, inquit Kraft-Ebing, heic jam ab initio reperitur una cum phoenomenis decidentis moralitatis et intellectualitatis plus minusve evidentibus, reviviscentia et augmentum carnalis stimuli (turpiloquium, impudentia relationum cum alterius sexus personis, matrimonii ingentia proposita etc.), absque ullo prorsus pudore propter conscientiam obnubilatam; unde seductiones, raptus, publicum scandalum quotidie passim. Aliquatenus sub initio ad circumstantias attendunt, sed cynicus agendi modus protinus apparet. Hujusmodi infirmi, dementia progrediente, taliter se gerunt, ut scandalum facile pariant; tantoque gravius, quo minus morbum suum agnoscunt, qui profanum oculum effugit ».

d) Epilepsiam per se sexualis excitatio non comitatur: recolendum tamen est, quod inter impulsivos actus, ab epilecticis admissos in statu epilectico vel etiam post-epilectico, frequentissimi habentur libidinis actus. Maxime vero ad epilectoides, seu aequivalenter epilecticos attendendum est. In his enim classica deficiunt phoenomena epilectica, ita ut individua, quae normalia putantur, sub organico impulsu, nefandos actus patrentur, quorum multoties conscientiam non habent, et pro tanto imputabilitas deest.

e) Nevrosis valde frequens est *hysterismus*, quo sexualis vita saepe anormalis apparet. Omnes possibi-

les anomaliae in unum collectae hic inveniuntur tum ob haereditariam degenerationem tum ob moralem imbecillitatem; atque maximam depravationem praeseferunt.

Haec autem morbosa sexualis vitae immutatio et perversio nunquam sine influxu in vitam affectivam eorum, qui tali morbo laborant, invenitur. Saepe vero in mulieribus hystericis sexualis exagitatio cum periodis catamenialibus (*menstruis*) coincidit.

f) In variis *paranoiae* formis, sexualis functio fere semper abnormi excitatione, et pluries alterationibus innumeris afficitur. Ex his autem formis aliquae exoriuntur ob sexuales abusus, (*paranoia mansturbatoria*) vel ob superexcitationes sexuales. Notandum, quod in *paranoia erotica* sexualis excitatio cum amore platonico et fanatica erga diversi sexus personas inclinatione saepe saepius se exerit.

Factum autem, quod confessarii sedulo animadvertere debent, est hoc: *Paranoia religiosa, quae tam facile, ob magnum pietatis velamen, latet profanis, in sexuali stimulo morbose intenso, et abnormiter praecoci fundamentum habet.*

Uti enim docet Kraft-Ebing, libidinis satisfactio ab infelicibus istis mansturbatione obtinetur, vel fanatismo religioso erga confessarios, sanctorum simulacra etc. Non raro autem in nostris manicomiis infirmi paranoia religiosa affecti inveniuntur, qui libidinem, qua uruntur, flagellationibus, laesionibus, mediis denique explent, quae nova penitus et insolita necnon barbara equidem sunt. Arcana haec religiositatis et sexualis deliramenti copulatio periculum facile importat, ideoque merito sapientia haec monita tradit Antonelli:

« Hysteria vel paranoia affecti frequenter in confessione sacerdoti occurrunt, praesertim mulieres innuptae.... Cura horum morborum nullo modo ad confessarium spectat; quapropter necesse est, ut ille facile

has agnoscat, et non nimis eorum sermonibus fidem praestet, et tempus periculose vel ad minus inutiliter perdat.... Quapropter confessarius maxima cautela et vigilanti prudentia agere debet cum hujusmodi personis, eo magis quod fanatismus religioso-eroticus mulierum, innuptarum praesertim, profundas radices in femineo corde immittit, quae sat difficile postea removentur. Nisi maxima vigilantia, cautela et prudentia adhibeatur, fama sacerdotis maximum detrimentum capere potest » (1).

Haec sapientissima verba factis innituntur: Saepe enim mihi accidit, interrogando mulieres in nosocomiis et manicomiis receptas, deprehendere religiosum ipsarum sensum graviter perturbatum, intimeque connexum sexuali erothismo, ita ut ipsis ad confessarii ministerium recurrere esset sufficiens per se motivum ad anormalis appetitus satisfactionem consequendam. Quod autem in aliquibus casibus sacerdos falsa pietate deceptus quaerimoniis aures praebuerit, effecit, ut sacerdotis actus, gressus, verbum quodlibet sedulo exploraretur. Quot et quaenam inconvenientia hinc sequi possint, facile quisque arguere potest. Optimum hisce casibus remedium est, sollicite hujusmodi foeminas ad catholicum medicum remittere (2).

Variae autem formae maniacae sexuali stimulo excitando plerumque minime favent: idque ex eo, quod in perturbatione psychica idea quaedam dominatur, quae

---

(1) Antonelli, *Medicina pastoralis*, Vol. I, edit. alter. n. 565.

(2) Meminisse etiam atque etiam juvabit, quod istae miserrimae foeminae facile de nefandissimis culpis eos accusant, qui eorum desideriis non cedunt. Non desunt casus, quos psychiatrae optime norunt, de hystericis nempe et paranoicis mulierculis, quae se violatas fuisse falso denuntiarunt; ideoque in sacerdotali ministerio vel maxima erga illas uti prudentia oportet. Cfr. Biondi, *Sulla relazione delle denunzie e testimonianze delle isteriche*. Rivista sperimentale di freniatria, Vol. XXIX, 1903.

deliramenti fundamentalem rationem constituit; attamen maniaci veluti haurientes interdum permultas, quas adhuc conservant, incoscientes ideas, in sexuali sphaera sui delirii elementa adinveniunt.

g) *Melanchonia* potest — licet sat raro — sexuali excitationi motivum praebere.

h) Duplex vero status peculiarem considerationem meretur: *satyriasis* nempe et *nymphomania.*

Hi equidem vere proprieque morbi non sunt, sed manifestationes prodromicae cujusdam generalis psychoseos. Duobus porro hisce nominibus appellantur status quidam psychicae perturbationis, qua morbosa sexualis stimuli iperexcitatio foenomenon constituit, quod integrae formae morbosae dominatur. Satyriasis propria est viri, mynphomania foeminae: utraque vero frequentior est, quam quod putatur: et in casibus irreductibilis libidinis, earum possibilitatem confessarius prae oculis habeat (1).

Fundamentum hujusmodi status, sexualem superexcitationem importantis, est quaedam hyperestesia psychica, cui sexualis sphaera comparticipat. Uti recte animadvertit Kraft-Ebing, phantansiae non obversantur nisi eroticae ideae usque ad hallucinationes et illusiones cum vero allucinatorio delirio. Objecta omnino indifferentia sexuales ideas in mentem revocant, quae libidine abnormiter violenta redolent. Vir satyriasi affectus et foemina mymphomaniaca nihil aliud cogitant nisi violentis stimuli satisfactionem; idoneum quodcumque medium, impedimenta nulla agnoscunt. Lacrimabilis sane conditio, eo vel magis quod miserrimi isti in delirii intervallis plenam proprii status conscientiam servant. Quot crimina, quotque moralis legis violationes psychicae huic exagitationi debentur, quae medici curam, variis de causis, saepe saepius effugit. Hisce in casibus

(1) Ad rem conferantur quae scribit Capelman in opere : *Medicina pastoralis.* De hoc quidem argumento ampla habetur dissertatio in volumine *De psycopatologia pastorali.*

omne confessarii studium et sollicitudo inutilia evadunt; ideoque necesse est illorum curam medico, in hoc genere morborum medendo praestantissimo, illico demandare. Talem autem medicum christianum esse oportet. « *Chistianum dicimus* »: nam, ut cl. Antonelli animadvertit, « nisi doctor vere christianus sit, gravium malorum caussa esse potest, ut multa facta testantur » (1).

Notandum denique, quod licet rara sit satyriasis, valde tamen frequens est nymphomania, eaque etiam in senectute contingere potest.

Duae istae formae quamdam insuper aliam causam in menten revocant, quae abnormem excitationem sexualis appetitus provocat; quaeque licet ad organicas causas profecto non spectet, de ipsa tamen hic loqui possumus, utpote quae nymphomaniam vel satyriasim saepe determinare equidem potest.

Loqui nempe volumus de effectibus, qui ex defectu munditiae in genitalibus organis subsequuntur. Urina, sudor, sanguis menstruus, secretiones ex glandulis tam sebaceis, quam sexuali apparatui propriis, in cutis et mucosarum plicaturis sese accumulantes, processibus subjacent, ex quibus novae, aliis immutatis, substantiae brevi tempore generantur, quae ipsam cutem irritant, atque lubricum pro tanto pruritum excitant. Hoc autem demonstrat, quod, in ordine ad castitatem hujusmodi organa peculiarem curam munditiamque requirunt. Ad rem autem monitum recolatur, quod cl. Antonelli jure suppeditat. Ablutiones nempe, quae munditiae causa fiunt, in sexualis excitationis causam converti facile possunt. Ad hoc autem periculum avertendum cautelas conveniens erit adhibere sequentes: Post ablutionem cauta observetur abstergendi ratio: ex. gr., si de viro agatur « apponendo supra pannum linaceum, ne periculum pollutionis habeatur, quod periculum omnino abest,

(1) Antonelli, *Medicina pastoralis*, Vol. I, ed. alt. n. 547.

si ante lotionem membrum fortiter coarctetur per digitos prope basim, et coarctatio continuetur usque ad abstersionem perfectam; coarctatio enim impedit affluxum sanguinis, ac ideo erectionem. — Oportet mulieres lotiones externas agere utendo panniculo valde levi et numquam debent abstergere per confricationes, sed tantum apponendo pannum, et leviter manu illum comprimendo pluries, donec abstersio sit totalis, quia alias, scilicet confricando, augetur organorum calor et irritatio cum periculo proximo voluptati consensus » (1).

Hujusmodi vero quaestiones melius examinabuntur. cum de balneis et embregmatibus (*doccia, douche, sturzbad*) sermo erit: haec hactenus innuisse sufficiat, ut omnibus pateat, quomodo haec hygienica praxis, absolute necessaria (2) periculosa fieri possit, nisi debitae adhibeántur cautelae.

Concludamus igitur. Organicae causae libidinis innumerae sunt. Confessarius et medicus illas agnoscere debent: ille quidem ut imputabilitatem exactius dijudicet, hic vero, ut intensitatem tollat vel saltem minuat. Maxime autem interest observare, quod physiologus, studio harum causarum operam navando, nullatenus intendit actus contra honestatem his dumtaxat causis tribuere. « Physiologus enim, ut rite animadvertit Doct. Blanc, solummodo demonstrat fontem esse posse organismum sexualium impulsuum violentium, quorum aliqui physiologici sunt, et alii pathologici: physiologicos autem varia in diversis individuis intensitate posse pollere. In omni vero casu utrosque cognoscere necessarium prorsus est ».

---

(1) Antonelli, *Medicina pastoralis,* Vol. I, edit. alt. n. 547.

(2) Meminerint matres, quod plerumque incipit in pueris mansturbatio propter pruritum, excitatum cutis inritatione, quae ex praedictis substantiis causatur.

§ 3. — De causis externis.

Uti vidimus, causae externae in duas classes distribui possunt, *organicas* et *psychicas*, prout nempe directe in organismum agunt, vel indirecte mediante anima.

1) *Alimenta.* Ad causas priores pertinet alimentum, quod profecto est prae aliis majoris momenti. Ut enim constat, quaedam scientia medica omnimo immoralis quoddam alimenti genus statuit, quod *aphrodisiacum* dictum est. Copiosum porro nutrimentum cibis succulentis et excitantibus constans, continuus aromatum usus, ipsius sexualis appetitus vim augent: hujusmodi vero efficacia maxime pollent cibi nonnulli, uti crustacea, ostrea, pisces sale exsiccati, potiones alcoolicae vel fermentatae.

Ad pisces vero quod attinet, controversia habetur inter auctores. *Fonnsegrive* putat, quod piscibus aphrodisiaca merito tributa est virtus, eo quod penes populos ichthyofagos et litorales prolifica eminet potentia; sed alii hoc negant, inter quos Segden, cujus testimonium magni quidem faciendum est.

Ad rem autem meminisse juvabit, quae animadvertit doct. Blanc y Benet: « Quoad prolificam virtutem populorum, qui litorales regiones incolunt, dicendum, quod secundum rei veritatem non est ea admittenda. Contra enim habetur sententiae certitudo, quam efformare quis potest ex iis, quae referuntur in *Movimiento de la pôblaciôn de España en 1900.* Sub oculis etiam habemus magni momenti memoriale, a Doct. Blanellas perlectum occasione sui ingressus in *Regiam Academiam Barcinonensem de medicina* (jun. 1904) cujus titulus: *Foecunditas et prolificatio,* in quo pag. 27 descriptio fit natorum anno 1900 in Hispania secundum

varias regiones naturales. Ex hujusmodi descriptione contraria educenda esset conclusio, quia populus, qui unanimiter admittitur tamquam ichtyophagus, populus nempe Baleariae, ultimum locum tenet (nat. 25 pro 1000); dum e contra internae regiones maximum attingunt nativitatum numerum (ex gr. Leon, 36 pro 1000, Extremadura, 36, 4 pro 1000)». Utrum vero in Italia simile factum contingat, nescimus ob deficientiam elementorum, quae ad quaestionem solvendam requiruntur: ex Galliae tamen censu confirmatum apparet. Oporteret profecto alias perplures concausas considerare; sed ejusdem auctoris sequentem conclusionem interim admittere liceat: Iure meritoque Fonnsegrive prolificas qualitates piscibus tributas excludit: ab opinione tamen communi se subtrahere nescit, juxta quam piscis ut aphrodisiacus habetur, et ad quam propugnandam propriae experientiae personali innititur. At si de molluschis et crostaceis (ostrea, cammari, loligines, cancri) hoc affirmasset, verum dixisse videretur, sed non idem retinendum putamus de piscibus recenter captatis et absque excitantibus condimentis coquinatis, multoque minus de pisce albo, si nostrae personalis experientiae et observationis, sicut suae Fonnsegrive, rationem habeamus. Bolin et Sabit, qui circa alimentationem studia conscientiosa impenderunt, ita loquuntur in *Hygiène de l' alimentation:* « Instanter affirmatae saepe saepius fuerunt piscis aphrodosiacae proprietates; hoc tamen dubium est ». Aphrodosiaci profecto habendi sunt pisces sale exsiccati, et qui variis modis servantur.

2) *Loci temperies* (*clima*) notabilem asseritur influxum agere in sexualem vitam. Et ad hoc demonstrandum affertur ratio ex eo, quod ex. gr. regiones calidae genitalis apparatus maturitatem accelerant, majoremque, quam frigidae, excitabilitatem producunt. Sed hic opportune notandum est, quod discrimen sexualis evolutionis, observatum penes cujusdam regionis calidae et

frigidae incolas, praecipue debetur influxui ethico-sociali, ac somaticis stirpium differentiis, ita ut harum causarum influxus ab altero temperaturae separari in praesenti nequeat.

Nonnullis etiam relationem statuere placuit inter anni tempora et majorem minoremve excitationem veneream; ad quod probandum citantur cathalogi hujus vel illius status, foecundationes referentes prae diversitate temporum anni. Ad Italiam quod attinet, major numerus sequentibus mensibus habetur: Aprili, Junio et Martio, quos sequuntur Majus, Ianuarius, Julius, December, et deinceps Augustus, October, Februarius, November, September.

Sed quaenam hinc trahenda conclusio?

Imprudens mihi profecto videtur quidquam inde concludere: eo vel magis, quod differentiae valde notabiles non habentur: et insuper ex datis foecunditatibus excitationes sexuales deduci nequeunt; quin immo ex eo, quod anni tempora exercent influxum in priores, concludere non licet, quod haec etiam in alteras influant. Nec dicere juvat, quod ex gr. aestivo tempore plura contra pudorem crimina patrantur. Nam hac tempestate omnia praecipue passionalia crimina frequentiora habentur: ideoque, non ex majori excitabilitate, quam produceret temperies, argui potest potissima ratio criminum contra pudorem, sed ex aliis, iisque valde complexis, causarum generibus, quorum principale habetur ethico-sociale, utpote quod prae variis anni temporibus alias et alias importat consuetudines in vivendi ratione.

3) *Bicycliola (biciclette, biclettes, zweirad) suendi machinae*, etc.

Inter causas externas sexualis excitationis enumerantur aequitatio et bicyclioli usus, ex quibus foeminae praesertim noxiores paterentur effectus.

Harum exercitationum aphrodisiaca vis explicari solet ex eo, quod per illas continua nimis habetur ge-

nitalium extensio, vel explicatio, et sanguinis congestio his in organis determinatur. E congestione vero sequitur erectio, voluptatisque excitatio. A nonnullis etiam retinetur, quod suere utendo machinis pede motis eumdem pariat effectum; quia pedum motus ad inferiores abdominis partes transmittitur, plenamque venerei appetitus satisfactionem determinat. Auctores tamen non desunt, qui de hujusmodi effectibus dubitant.

Et revera, ex aliquo tantum particulari casu putamus formatam esse legem generalem. Equitare enim et bicycliolo vehi determinare sane possunt omnium organorum pelvicorum congestionem, dummodo valde protrahatur exercitium; sed si ad usum dumtaxat rationabilem moderatumque limitetur, huiusmodi effectus non tantum communiter deest, sed verum beneficium bina illa exercitia gymnastica tam viris quam foeminis attulisse compertum est. Perniciosi, qui ex hujusmodi exercitiis consequuntur effectus, immoderato et saepe violento abusui debentur.

Quoad suendi machinam, notandum, quod omnes effectus noxii, ipsi tributi, ex diversis forsitam conditionibus concurrentibus procedunt.

Uteri quippe, et organorum, qui cum ipso nectuntur, morbi, istis instrumentis imputati, in illis tantum puellis frequentius inveniuntur, quae in magnarum urbium officinis vestibus conficiendis adunantur.

Sed nemo nescit, officinas illas, corruptionis fontem extare adeo, ut hujus classis operariae ingentem meretricio contributionem afferant.

Nos igitur censemus, quod aliunde, et non ex suendi machinis, causa repetenda sit, ex qua illiusmodi morbosa foenomena proveniunt. Ceterum hodie mechanicarum artium progressus effecit, ut suendi machinae, quae pedibus moventur, penitus fere exularent, iisque alterae substituerentur velocissimae, quae minimo manuum labore moventur.

4. *Cutis inritationes.*

Inter sexualis excitationis causas externas illae quoque recensentur, quae cutem inritant.

Nimis arctae compressaeque vestes, effricatio, *(massaggio)* flagellum, cilicium, excitationem, licet rarissime, producere possunt.

Quoad cilicium siquidem et flagellum, de quibus loquemur, cum de mediis prophylacticis ad castitatem servandam sermo erit, dicendum, quod ex illorum usu sexualis excitatio nonnisi in aliquibus temperamento *erethistico* laborantibus consequitur, quibus quoque periculum inest in quolibet stimulo, qui normalibus individuis omnino indifferens est.

Quosdam ex his casibus nos observare potuimus: et pro tanto opportuna videntur quae sapienter tradit doct. Blanc y Benet: « Causa haec indirecta est, et nullatenus constantis efficaciae: ideoque usque dum studia conferantur praecisiora, ac in observationibus seu experientiis fide dignis fundata, certo retinemus, nefas esse in nomine hygienis hanc poenitentiae praxim damnare, (usum nempe flagelli) quae tam late est recepta ». Consilium ad summum dari potest, ut inquit Surbled, ne illud adhibeant personae vivacibus valde sensibus pollentes: eademque de causa conveniens est abstineri a lumbaris regionis flagellatione; et si agatur de foeminis, etiam a flagellatione sinus: sed, ut subjungit doct. Blanc y Benet, nulla adest ratio, quae adhuc in contrarium possit afferri.

Sexualem insuper appetitum excitantia profecto habentur mollis lectus, supinusque decubitus, necnon sedentariae occupationes; quia in primo casu spinalis medullae, in altero vero pelvicorum organorum determinatur congestio; quod si his habitualis *coprostasis*, vel nimis diuturna urinae retentio adjungatur, graviores admodum sequentur effectus.

Nonnullae itaque artes sub hoc respectu tamquam perniciosae considerantur: et cl. Descuret ex censu aegrotorum, qui venereo morbo laborabant in quodam Parisiensi nosocomio, conclusionen deduxit, quod major pars venereis affecta ad classem pertinet illorum, qui sedentariis occupationibus detinentur.

Et revera, inter infectos recensebantur sutores 474, sartores 356, et solum 28 essedarii. Mihi tamen videtur, quod ex tam fragmentariis recensionibus, tamque etiam imperfectis, utpote quae alias et quidem magni montenti causas, ex gr. ethico-sociales, nequaquam perpendunt, nulla trahi possit conclusio. Est autem et aliquis auctor, qui inter periculosas professiones medicinam quoque recenset. Omnes tamen hujusmodi causae valorem relativum habent. Graviores sane causae externae illae sunt, quae ideis eroticis materiam praestant.

Has porro investigare ad medicum non spectat, ideoque paucis eas delibare sufficiet. Omnium itaque gravissima causa in socialibus relationibus et consuetudinibus profecto invenitur. Adolescentibus siquidem in erotica pubertatis periodo exempla prava exhibentur. Scholae, collegia, officinae, carceres, rejecto quolibet religionis sensu, morum corruptioni maxime favent. Ephemerides, opuscula, pictae et insculptae imagines, aliaque huius generis, maleficum opus commercii, quod infimos excitat appetitus, et clam mutoties exercetur, sed saepe saepius toleratur sub praetextu artis iura tuendi, — perniciosos impudicarum conversationum complent effectus. Ad appetitus explendos occasiones nequaquam deficiunt, ideoque accidit, quod venereis nosocomia supereffluunt, ad celtica dispensaria aegrotorum turba concurrit, nuptialis thalamus foedissimis polluitur morbis, meretricium undique grassatur, eoque magis illa invalescit opinio, castitatem nempe esse tantum sanctorum virtutem, et pro omnibus nullatenus obligatoriam.

Nec insuper minus periculi habent cum diversi sexus personis relationes frequentes. Hinc scholae mixtae, modernae de matrimonio theoriae, sexuum promiscuitas in officinis et publicis institutis, choreae etc.... totidem sunt occasiones, quibus per sensus (tactum, aspectum, olfactum) habitae perceptiones interiorem excitant repraesentationem vel alterius sexus personarum memoriam, maxime vero si cum ipsis amoris voluptas delibata sit; et hoc pacto, imaginatione mediante, concupiscentia exardescit.

Sed praeter causas istas principales secundarias quoque recolere praestat: inter quas potissima, utpote quae ad sexuales stimulos fortius praedisponens, otium certissime habetur. In otio porro corpus vegetativae vitae formae molliter indulget; voluntas habitum acquirit propriam inhibitoriam potentiam haud exercendi, et mens imaginationis phantasmata prosequitur.

Quae quidem phantasmata quum ex quodam veluti fonte interiori hauriantur, qui aliquales continet species incoscientes et subcoscientes (Io-subliminal) nil mirum, si turpes cogitationes, vel quae simpliciter ad venereum appetitum referuntur, frequentissimae habeantur: praesertim vero certis interdiu horis, maxime post cibum, et eo vel magis, quo hic copiosior fuerit. Qua de causa habitudo somno se dandi post convivium reprobanda penitus est.

Solitudo quoque sexualis stimuli excitationi favere potest: ideoque spirituales docent magistri, in solitudinis beatitudine recolligendum animum esse ad dulcissimam Dei sanctorumque praesentiam.

Referre denique juvat sequentem animadversionem. Aliquando accidit, quod confessarii juvenes, bona quidem fide, suos poenitentes turbent periculosis de peccatis contra sextum interrogationibus. Merito proinde docent theologi, relate ad confessionem hujusmodi cul-

parum, quod, praesertim si agatur de pueris et puellis, ob timorem eos docendi malitiam, eorum innocentiae potius quam confessionis integritati sit consulendum.

Recolendum insuper est, quod multae foeminae, praesertim hystericae, delectationem specialem, ut jam innuimus, experiuntur, colloquendo de iis, quae ad sexuales actus pertinent; ita ut frequentius ad confessionis sacramentum accedant, quandoque etiam sine malitia, voluptatis explendae causa: idque contingere quoque potest, quando confessarius muneri suo, meliori modo quo potest, satisfacere intendit.

Maximum porro pro confessario adest periculum in hujusmodi casibus, quia harum foeminarum, quae, ob exquisitam hystericam sensibilitatem, minima quoque notant et observant, ac seducendi artes multiplices subtilesque noscunt, tantum efficit calliditas, ut brevi in laqueum confessarius incidat.

Meminerint praeterea confessarii, quod frequentes dantur casus, quibus hystericae foeminae absque ullo fundamento de nefandis quoque criminibus personas saepe nullius mali incapaces accusent; huiusmodi enim factis medicinae legalis annualia abundant: et meminerint quoque, ipsas ad simulanda contra pudorem facinora talia media adhibere, ut interdum ipsis quoque peritis, quibuscumque nonobstantibus investigationibus, deceptio nullatenus pateat.

Haec omnia bene firmiterque in mente retineantur, quia unum tantum verbum, una tantum interrogatio accusandi et denuntiandi motivum suppeditare ipsis potest.

§ 4. — De pathologia sexuali.

Ex iis, quae supra exposuimus, facile concludi potest, sexualem appetitum notabiles variationes subire in diversis statibus psychopaticis: vidimus quippe, plu-

res infirmitates mentales cunjungi cum sexualis functionis alterationibus. Hae autem infirmitates manifestari possunt sive ob evolutionis defectum (ut ex gr. in *idiozoia*), sive ob anormalem mentis deviationem, (ut in *paranoia*) sive denique ob pariter anormalem superexcitationem (ut in *hysterismo*). Hisce in casibus pathologae verificantur sexualis appetitus alterationes, quae ut *secundariae* considerari possunt, videlicet ut quaedam ex manifestationibus ad mentalem infirmitatem fundamentaliter spectantibus.

Sed studia dd.um Kraft-Ebing, Garnier, Venturi, Mantegazza, Moll, Tarnowscki, clarissime demonstrarunt, praeter istas sexualis appetitus anomalias, alias quoque esse, quae ut *primariae* spectari queunt, seu ut constituentes formam morbosam fundamentalem. Ad hujusmodi categoriam pertinent omnes illae formae diversae morborum, qui proprie pshychopatiae sexuales appellantur.

Completa de his formis (quae tamquam gravissimum malum merito habentur) tractatio, non paginas parvas, sed volumen requireret; hic tamen solummodo quaedam brevi stylo indicare contenti erimus (1).

Hoc unum nihilominus maxime animadvertendum volumus, videlicet, quod loquentes de sexuali psycopathia, nequaquam tradere intendimus, omnes anormales sexualis appetitus manifestationes nihil aliud esse, quam infirmitatem mentalem. Hoc enim idem esset, ac doctrinis hodie in psychiatria prevalentibus concedere, quod illae hucusque nullatenus demonstrare valuerunt (2).

Nostra interest tantum lectoris attentionem revocare supra factum, quod scilicet *in quibusdam casibus* anormales sexualis appetitus manifestationes, tamquam verae

---

(1) Cfr. Gemelli, *Le dottrine moderne della delinquenza*. Libreria Editr. Fior. Firenze 1909.

(2) Cfr. inferius ubi de cura quoad formas istas morbosas.

infirmitates mentales, vel certae degenerationis formae habendae sunt, ideoque hujusmodi casus ad psychiatram pro remedio opportuno sunt demandandi.

Sexuales itaque phychopatici illi sunt, in quibus ob pathologicam nervei systematis vel sexualis apparatus dispositionem, quae plerumque haereditatis causa acquiritur, abnormiter evolvitur functio sexualis instinctus.

Tales alterationes ad duplicem categoriam pertinere possunt, nimirum vel *perversiones* sunt, vel *inversiones genetici sensus.*

I. *Sexualis instinctus perversio* quilibet libidinosus actus vocatur, qui extra copulam naturalem cum alterius sexus persona committitur. *Inversio* e contra habetur, cum propensio, quae deest erga personas diversi sexus, ab inclinatione erga ejusdem sexus personas substituitur.

Psychiatriae cultores, hisce ultimis temporibus, utriusque categoriae varietates innumeras patefecerunt: principales autem sunt:

a) Mansturbatio, utrique sexui communis.

b) Feticismus, sexualis organi anomala excitatio, vel etiam satisfactio sexualis appetitus, quae proveniunt ex aspectu, vel tactu objectorum ad diversi sexus personas spectantium. Frequentior in viro quam in foemina est.

c) Exhibitionismus, seu excitatio proveniens ex eo, quod propria genitalia alteri monstrantur.

Frequentior in viro, quam in foemina, haec quoque abnormitas habetur.

d) Sadismus, seu abnormis excitatio sexualis provocata ex intuitu cruciatuum, quos suae victimae quis infligit. Forma haec est satis diffusa, et ex duabus, uti notat ***Forel,*** conjunctis causis resultat; quarum prima est exardens quaedam et absolute pathologica sexualis voluptatis excitatio una cum instinctu sanguinario, ac

desiderio victimam vexandi et subjugandi: altera vero est fere totalis defectus moralis sensus.

Huiusmodi psychopathia, ut bene Kraft-Ebing demonstravit, haereditate trahitur et congenita exstat. Quandoque ad homicidium usque pertingit; quandoque etiam criminosa perversio super mortuos committitur, et tunc *necrophilia* appellatur; aliquando tandem super animalia. In viro saepissime inesse perhibetur,

e) Masochismus: Huiusmodi vox a Kraft-Ebing ad illam sexualem perversionem designandam adhibita fuit, quae a Sachez Masoch, facinorum enormium fabuloso scriptore, in pluribus operibus fuit descripta.

Habetur autem, cum voluptas excitatur ob humiliationem, submissionem, percussiones quoque et verberationes. Haec etiam perversio haereditaria est et congenita, frequensque in foemina reperitur.

II. *Sexuales inversiones* seu *amores omosexuales* propriam formam et characterem exhibent, quatenus non sexualis tantum appetitus, sed omnes etiam psychicae manifestationes erga proprii sexus personas diriguntur: et quotquot sunt ita perversi repugnantiam insuper experiuntur quoad sexualem quemlibet contactum cum diversi sexus personis.

Sexualis inversio, ut ait Kraft-Ebing, consistit in oppositione inter *sexum physicum* et *sexum psychicum*. In viro frequentior est quam in foemina; atque ita est diffusa, ut judex Ulrich publicum omosexualis amoris apostolum se fecerit, in suis scriptis etiam assignando hujusmodi inversione affectis nomen speciale, scil: Uringi, quo quidem nomine etiam hodie in Germania vocantur. Ipsius vero Ulrich sectatores eo usque pervenerunt, ut tuerentur omosexuales speciem particularem hominum constituere, qui vere normales et physiologici habendi sint; et conati etiam sunt sanctionem legalem obtinere pro tali amoris genere, non secus ac de amore legitimo ageretur; et Hirschfeld, Beroli-

nensis doctor, hisce ultimis annis, scientiae medicae argumentis talem opinionem sustinere non erubuit.

In foemina minus diffusa, vel saltem minus publica est omosexualitas: hujus autem amoris genus in eis *lesbianus* vel *sapphicus amor* vocatur, et quae *inversione* afficiuntur, *tribades* appellantur.

In quibusdam casibus inversionis objectum sunt pueri; et tunc *pederastia* vocatur; vel animalia, et tunc *bestialitas* dicitur; quae ultima forma fere exclusive in idiotis et imbellicibus invenitur.

Inversionis forma inquinati normales actus sexuales haud explent, vel si explent, raro admodum, et quin voluptas sequatur.

Istiusmodi formae morbosae, irregulariter quidem, in pueritia aliquantulum evolvuntur, in adolescentia acuuntur, et maximum attingunt intensitatis gradum in pubertate; ingravescente autem aetate decrescunt, sed notandum, quod in pluribus casibus sexualis psychopaticus in dementiam ultimo labitur.

Iam diximus, multos quoad hujusmodi morbos dari casus, qui profecto debentur veris alterationibus congenitis ac haereditariis ipsius cerebri: sed non ideo tamen tenendum est, omnes perversionum inversionumque sexualium casus veram imputabilitatem moralem excludere.

Nequaquam! Magna enim hic adhibenda est cautela. Nulla sane imputabilitas in iis tantum casibus admittenda est, quando ex studio circa morbi decursum, ex analysi haereditatis, ex manifestis anomaliis psychicis, seu veris psycopathiis inferri certo licebit, hic agi de quadam organicae constitutionis infirmitate, acquisita vel haereditaria (1).

---

(1) Cf. Gemelli, *Il concetto di responsabilità e i progressi della psichiatria.*

Quae breviter hucusque exposuimus, lectori uti monitum inserviant: inferius de hac quaestione agemus, cum de his morbosis formis curandis sermo erit (1).

§ 5. — Conclusio.

Capitulum de causis externis concludimus quasdam valde opportunas animadversiones referentes ipsius doc. Blanc y Benet: « Notandum sedulo est, quod multoties causae, quae communius ad libidem excitant, non tam simplici modo sese exhibent, qui descriptus est: sed complicantur, et aliae aliis adduntur; quare jam antiqui philosophi aiebant: « Causae mutuo causantur ». Ita, ex gr. unum idemque vitium libidinis effectus simul et causa est, ut omnes norunt, et habituum influxus demonstrat ». Ideoque inquit Furbringer: « Valde probabile est, quod in sexuali abusu, consequenter ad exagitationem in nerveum systema tam excitatum receptam, erectionis et iaculationis centra continuam irritabilitatem possideant, adeo ut minimae et nullius quoque vis excitationes ad jaculationem provocandam

(1) Si quis naturam istarum alterationum melius et particulatim inspicere velit, conferat: Forel, *Die sexuelle Frage*, Berlin, 1903 (italica quoque extat versio). Garnier, *L'onanisme seul et à deux*. Paris. Haveloch Ellis, *Man und Woman; A study of human secondarus Sexual caracters*. London 1904 1ª ed., *Phsychologos* of seu. Philadelphia 1900. Kraft-Ebing, *Psychopathia sexualis*, 13ª ediz. Stuttgart. Anno 1902. Moll, *Die Konträre sexualempfindung*, 1890 (quod opus italice etiam versus est); *Untersuchungen über die Libido sexualis*, 1897. Tarnowski, *Die Krankheithen Erscheinungen des Geschlechtsinns. Eine forsichere psychisischen Studien*, Berlin 1896. Venturi, *Le degenerazioni psicosessuali* Torino 1879. De hisce operibus interpretationes gallicae atque italicae exstant. — Cf. insuper: *Archivio di psichiatria, Rivista di freniatria, Archiv fur Kriminal psychologie, Archives d'Anthrop. crimin., Ann. medic.-psycholog.*, passim.

sufficiant ». Nimirum, sexualis erethismus, tamquam causam principalem, venereum recognoscit abusum.

Ita studium absolvimus circa causas; viamque jam paravimus ad media determinanda et constabilienda, quibus funesti earum effectus impediantur, vel etiam ad nihilum redigantur.

Caput Tertium.

De castitate.

1. *Praesumpta continentiae damna.* — De necessitate continentiae physiologicae. — Praesumpta damna: Pollutiones nocturnae. Spermatorrea. Onanismus. Perversiones sexuales. Dementia. Nevrosis. Testimonia cl. doctorum.
2. *Continentiae commoda.* — Secretiones internae glandularum sexualium. Earum utilitatas. — Imminutio venerei stimuli. — Testimonia. cl. doctorum.
3. *Incontinentiae damna.* — Influxus venerei stimuli in nerveum systema. — Organismi enervatio. — Morbi secreti.
4. *De appetitus sexualis praesumpta invincibilitate.* — Degeneratio sexualis.
5. *Conclusio.*

Castitas est virtus, per quam homo inordinatum appetitum venereae delectationis moderatur. «Nunquam licet, scribit S. Franciscus Salesius, delectationem venereaм prosequi nisi in matrimonio legitimo, cujus dumtaxat sanctitas potest aequa compensatione reparare quod amittitur ob voluptatem sexualem. Cor castum est tamquam madrepora, quae nullam aquae guttam recipere valet, quae de coelo non veniat; et ita nec homo ullam aliam potest accipere delectationem, nisi e Coelo demissam. Hac vero tantum excepta, ne cogitatio quidem lasciva admitti deliberate fas est. Cavete igitur, ne prohibitam delectationem recipiatis. Vetita autem est quaelibet voluptas, quae extra matrimonium, vel etiam in ipso matrimonio, contra tamen matrimonii regulas, appetitur.... Verum sane est, sed a vulgo vix

intelligitur, castitatem nempe conjugatis valde esse necessariam, quia istorum castitas non quidem in absoluta a voluptatibus carnis abstinentia, sed in continentia circa ipsas voluptates consistit ».

Castitas igitur, uti S. Episcopus docet, quamvis modo diverso observanda sit ab iis, qui matrimonio juncti sunt, ac ab aliis, qui extra matrimonii statum versantur, communis tamen virtus est omnibus hominibus. Christiana religio supernaturale motivum in mundum invexit, vi cujus haec virtus colenda est, et castitatis sanctificatione novam indixit aetatem, media quoque praebendo supernaturalia, quibus homines possent hanc observare virtutem.

Et revera Apostolus Paulus in epistola ad Galatas (cap. V. v. 24) proclamavit: « *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* ». Et ad Corinthios scribens aiebat: « *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores..... regnum Dei possidebunt.... Corpus non fornicationi sed Domino, et Dominus corpori..... Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis.... Fugite fornicationem* » (I Cor. c. VI. v. 9).

Haec profecto Sp. Sanctus nos edocet.

At non sub ea praecise ratione, qua praeceptum Dei est, de castitate hic intendimus loqui; sed ejus potius hygienicam rationem considerantes videbimus, quod de *castitatis hygiene* sermo jure institui potest.

§ 1. — **Praesumpta continentiae damna.**

Nulla forte alia est virtus, quam, sicut castitatem, naturae humanae repugnare tam pervicaciter affirmatum sit: contra ipsam absurdissima coacervata sunt

praejudicia, quorum quaedam tamquam vera aexistimata sunt a nonnullis etiam non literarum ignaris.

Ad hujusmodi igitur praejudicia destruenda medici labor nequaquam inutilis erit.

Et in primis omnes norunt factum, quotidianae observationis objectum, castitatem nempe paucorum nunc temporis privilegium esse; et quemadmodum ad propria quaelibet vitia excusanda coram se et coram aliis rationes solent adduci, ita et in praesenti copiosa argumenta corrupti homines excogitarunt ad suam incontinentiam cohonestandam.

Scientia, ajunt, nos docet, damnorum admodum gravium semen esse castitatem.

Et ideo, ut animadvertit doct. Surbled, licet innumera sint scriptorum opera, qui praesumpta castitatis damna penitus denegant, argumenta tamen eorum, qui scientiae assertionibus excusare propria vitia conantur, adhuc proprio.... historiografo carent.

Opportunum itaque praeprimis erit observare, quod quaedam vitae momenta habentur, quibus ipsis quoque conjugatis absolute necessaria est continentia.

Moderatio enim, quae ipsi matrimonio imponitur, necessario debet augeri, cum conjuges provectioris sunt aetatis; et maxime autem cum tempus praegnationis, puerperii et lac infanti praebendi castitatem absolutam exigunt.

Et revera, quisnam, quaeso, vellet, ob personalem voluptatem, futuri neonati vitam in periculum adducere? quisnam gravia et irreparabilia damna propriae uxori inferre? quisnam propriam prolem tali periculo exponere, ut lactis nutrimento ipsa careat; vel cum lacte haud idoneo aut mercenario, tanta damna et discrimina afferente, nutriatur? Mulier in toto maternitatis periodo in eo statu versatur, qui aequilibrium instabile recte dici potest.

Illius quippe organismus anatomicis et physiologicis mutationibus subjacet, quae, energiarum non indifferen-

tem summam expostulant; intensiores quidem evadunt chymici compensationis processus, sed specialem formam acquirunt. Agitur enim profecto ante omnia de materia propriis impensis praebenda, ex qua novus organismus formetur, et cum hic in lucem oritur, gaudium suis vagitibus afferendo laetae familiae, mater non tantum debet ipsum alere, sed etiam sibimetipsi prospicere proprii organismi gravia damna reparando, quae procreatio adduxit.

In hoc insuper tempore generationis apparatus ex intensi laboris productione maximam vulnerabilitatem acquirit.

His admissis, convenire debemus cum doct. Blanc y Benet, qui amare exclamat: « Putaturne, quod in his quoque conditionibus impossibilis castitas sit? Aperte et candide quis respondeat; quia tunc in his circumstantiis, ob quemdam humanitatis sensum, maritis adulterium permitti deberet! »

Quod si hoc admittatur, fornicatio iis omnibus permittenda esset, qui propter speciales vitae circumstantias matrimonium contrahere nequeunt.

At conscientia moralis omnium temporum et locorum tam alte huius opinionis falsitatem denuntiat, ut eam substinere nefas sit, sed usu tamen ipsa approbatur; quo solummodo pacto explicare datum est magnum illegalium natalium numerum. Iuxta recentiorem quippe censum a Loventhal exibitum, Parisiis 289 partus illegitimi pro 1000 exstant; Berolini 296 pro 1000; insuper notandum quod Berolini quotannis 6 habentur illegitimi partus a puellis, quae nondum 15 aetatis annum attigerunt, Parisiis item 6, quorum quinque illegitimi. Parisiis adhuc partus numerantur 3498 ex feminis, quarum aetas a 15 ad 20 annum fluctuat; ex iis 1905 illegitimi habentur, idest ratione 544 pro 1000. Berolini 2531 numerantur ex quibus 1464 illegitimi sunt, ratione nempe 622 pro 1000. Illegitimi autem partus ex

feminis a 20 ad 25 annum Parisiis habentur secundum proportionem 327 pro 1000; Berolini autem 329 pro 1000.

Sed ajunt: Castitas est causa gravium morborum, vel saltem ingentis nocumenti ipsi organismo adulto!

Organa enim sexualia, complete evoluta, mascula generationis elementa producunt, idest spermatozoa.

Iamvero, subjungunt, haec in seminalibus vesiculis colliguntur, quas vacuas fieri necessarium, vel saltem utile et hygienicum est. Sed hoc obtinetur per physiologicum sexualis copulae actum, qui pro tanto etiam gravia prohibet damna ex nocturnis pollutionibus provenientia. Ergo.

Hujusmodi praejudicium quam latam hac nostra aetate habuit diffusionem ex quibusdam scriptis, quae olim magnum consequuta sunt favorem, quaeque ab Horstio, Priati, Ramazzini, sed praecipue a Tissot edita, quam gravissima damna attulere juxta concordem plurium medicinae legalis cultorum sententiam.

Sed contra ea, factum attentione sat dignum occurrit, ex quo ostenditur, quomodo finis a natura intentus sit lex quae prospicit vitae.

Et sane, penes nonnulla animalia, ex. gr. mures, foemina praegnationis tempore quamdam praesefert in sexualibus organis particularitatem, quae sexualem impedit copulam. Si igitur vera foret proposita objectio, male se gessisset natura erga illa animalia quae jugata vivunt durante generationis tempore usque ad gestationem completam (1).

Sed, ut intra limites, qui hominem spectant, sistamus, recolendum est, quod naturales pollutiones, quae effectus sunt continentiae, ad seminales vesiculas perio-

---

(1) Objici posset, quod glandulae masculo-sexuales in hisce animalibus per id tempus iterum in abdominem ascendunt; sed contra est, quod microscopicae observationes demonstrant, cytologicam nempe activitatem in illis perdurare.

dice vacuandas provide inserviunt. Physiologicae enim pollutiones in cunctis fere viris verificantur, et, ut plurimum, tempore somni: organismi vero debilitationem neque producunt, neque, dummodo nimis frequentes habeantur, nihil detrimenti saluti afferunt.

Superabundantis quippe seminis una pars exterius effunditur, et altera ab organismo absorbetur per linphatica vasa; unde chimica semen componentia elementa in circulum reversantur sanguineum, qui propterea elementis novis ditescit.

Sed castitas, instant, spermatorream producit. Forma haec morbosa in spontanea seminis emissione consistit, quae absque erectione et necessitate diu noctuque accidit, nec ulla venerea cupido ipsam praecedit, nec delectatio comitatur; et saepe mingendo vel evacuando contingit. Sed animadvertendum est, quod spermatorrea in iis, qui caste vivunt, non verificatur, nisi ex aliquo locali morbo, vesiculas spermaticas paralysi afficiente, determinetur.

Dicendum igitur potius est, quod spermatorrea tamquam hareditas funesta ex mansturbatione consequitur, vel ex aliis morbis diversis. Frequens namque habetur in individuis, quorum organica compensatio notabiliter remittitur, sicut in strumosis, et anemicis, atque in quibusdam etiam nervei systematis morbis contingit, necnon in gravi completae debilitationibus statu, ac in nonnullis localibus morbis, ut sunt ex. gr. fistulae anales, eczema, lichem, genitalium pruritus etc....

At graviora adhuc damna castitati tribuntur. Haec quidem reassumpsit prof. Venturi, qui hisce ultimis annis unux ex melioribus quidem habitus est alienistis, sed, licet ingenii vir, italae tamen scholae criminalis cultor intemperantissimus extitit.

Iuxta ipsum igitur sexualis vita evolutivum processum subit, cujus evidens argumentum habetur in evolutionis stadiis, quae in sexuali hominis vita hodie notantur.

In primo quippe stadio homo est onanista (1).

Onanismus secundum mentem Venturi est physiologicum factum, quod in puero vel adolescentulo ante pubertatem necessario prodit ex stimulis, qui sub influxu sexualium glandularum, sese evolventium, producuntur. Pudor e contra, qui pueros quoque ab omnibus retrahit, relationem cum sexuali vita directam vel indirectam habentibus, nihil aliud est, secundum Venturi, nisi quaedam ex atavicis residuis influxuque educativo ac religioso consequens inhibitio, quae juvenes retinet, ne inquirant et cognoscant, quae scire ardenter desiderant. Hinc bene intelligitur, qua ratione, juxta Venturi, inter atavicum effectum et organicae necessitatis satisfactionem, noxius habendus sit non hujus sed alterius influxus.

Sed cum interim juvenis cito generationi aptus fiat, organico elemento psychicum quoque conjungitur, quod essentialiter ab imaginationis effectibus praebetur, quos avide insequitur juvenile desiderium, et tunc onanismus sexualis actus evadit, qui comparari potest cum coitu, sicut *somnium cum realitate.* At quoniam, insuper, sexuali vita progrediente, mnemonicum elementum imaginationis speciebus adjungitur, secundum considerationem psychicam actui sexuali proxime accedit, juxta Venturi, mansturbatio; quae propterea nequaquam ut vitium habenda est, quemadmodum aextimatur et acriter reprehenditur a moralistis et educatoribus; sed est solummodo evolutionis quoddam stadium in vita sexuali, quod stadium amori inter duos (*l'amore a due — sic! —*) prius locum cedit et dein matrimonio.

Venturi theoriam fusius retulimus, ut ejus in castitatem accusationes lectores aextimare, quanti sint ponderis, possent. Et jam ex nunc contra ipsum animad-

---

(1) Quod medici onanismum plerumque vocant, theologi masturbationem appellant.

vertere liceat quod *lex biogenetica fundamentalis*, quae tamquam evolutionis regula inconcussa censenda erat, omnino absolute et magna omnium fortuna occidit. Sed et insuper nequaquam comprehenditur, cur manstur-batio actus physiologicus esse affirmetur; hoc enim quadantenus intelligi tantum potest in hypotesi, quod nempe Venturi proprias investigationes circumscrip-serit intra manicomium Nucerinum, cujus erat director: qua sola ratione comprehenditur valor argumentorum, quae affert Venturi ad suam thesim propugnandam.

Quinam itaque sunt, ad mentem illius, effectus, qui ex impedito sexualis functionis exercitio consequuntur?

Hujusmodi functio impediri potest duplici ex causa, vel religiosa, vel sociali (coactiva).

Priorem tantum, quae nobis majoris est momenti, consideremus.

« Religio, ita Venturi, masturbationem invexit tamquam medium, quo repararentur organismi damna, quae ex impedita sexuali functione proveniunt....

Masturbationis casus longe numerosiores habentur penes juventutem religioso spiritui imbutam, quae ad-modum frequenter illam exercet, semperque ultra na-turales aetatis limites, et tali etiam modo, ut detrimen-tum patiatur evolutio, et salus mentis, affectuum, et nervei systematis....

Onanismus usque ad tempus *amoris inter duos*, vel ultra ipsius matrimonii epocham protractus, inter-rumpit evolutionis viam, ipsamque parit idiotiam et im-becillitatem sexualem.... Onanismus est id, quod religio substituit *amori inter duos*, quoniam hic patens est ».

Sed, quaeso, potestne asseri, hominem talia scriben-tem sanae mentis esse? Mihi equidem, qui medicus sum, valde dubitandum videtur: et nullam aliam invenio ra-tionem explicandi verba supra relata, nisi in acerrimo, quem gerebat contra religionem, animo alienista ille notissimus. Et sane, si masturbatio a religione est in-

troducta tamquam forma amoris clandestini, quomodo asseri licet ipsam factum physiologicum esse usque ad tempus *amoris inter duos*. Mea insuper magni scire interesset, quinam sint limites, et quaenam masturbationis formae a nocumentis alienae.

Necesse haud equidem est medici aut moderatoris officium gerere, ut gravia damna cognoscantur, quae masturbatio, sub qualibet forma exercita, organismo, intelligentiae, voluntati affert! Quod autem ad aetatis limites spectat, celebris cujusdam medici expressiones referam. Doct. Ribling affirmat, quod « matrimonium praematurе initum, gravis causa periculi evadit, et mortalitas, quae pro viro ultra annum vigesimum uxorato repraesentat numerum *14*, pro uxoratis infra vigesimum attingit *60* pro *100* ».

Insuper docet Proust, quod matrimonium contractum infra vigesimum primum aetatis annum tam noxium evadit, quam sane utile supra istiusmodi aetatem: ad quam conclusionem ipsae quoque Bertillon computationes perveniunt.

Nunc igitur si talia de matrimonio asseruntur, quid, inquam, dicendum de obscoenis Veneris solitariae consuetudinibus? Impossibile profecto est morbosos earumdem effectus numerice recensere, sed unanimis medicorum consensus in promptu est, quo certo scimus, nerveas perturbationes admodum graves, et abnormem excitationem, habitualis masturbationis utique effectum, indelebilia stigmata imprimere in humano organismo.

Rebus autem sic stantibus, dicere quis poterit « onanismum physiologicum esse » limitesque et formam habere posse, quibus reddatur innoxius?

Quonam praeterea jure ipse Venturi praesumit asserere, introductam a religione masturbationem? Omnes, quotquot adhuc Venturi opinionem propugnant, (quum ipse quibusdam jam ab hinc annis obierit) enixe lacescimus, ut unum dumtaxat librum vel textun, ver-

bumve referant, quo demonstretur, religiosos homines tam foedam turpitudinem docuisse!

Religio sane non modo externos et manifestos vetat amores, extra sacrum matrimonii vinculum, sed quemvis etiam actum, ipsamque cogitationem minime castam. Viri haud certe religiosi, at psychiatrica scientia docti, fateri coacti sunt: *Religionem catholicam medium esse efficacissimum ad vitam castam ducendam, ipsamque castitatem ibi solummodo possibilem esse, ubi fides erigi ad coelum oculos jubet, et corda purificat.*

Negandum equidem non est, quod etiam in religiosis institutis homines adsint, qui forte cadent; sed num ipsam institutionem propterea incusare fas erit? Possibilene insuper est, quod ubi innumera habentur intrinseca et extrinseca media ad castitatem servandam, frequentior sit masturbatio, quam ubi solummodo naturalis fraena pudoris adsunt?

Nec dici potest, quod masturbatio necessario substituta a religione catholica sit in locum vetiti *amoris inter duos;* castitas namque, quam christiana in mundum provexit religio, est absoluta castitas, non operis tantum, sed etiam intentionis, castitas nempe talis, quae non modo ad actum sexualem prohibendum se porrigit, sed ad intellectum quoque et secreta cordis se extendit.

« At religio, subjungit Venturi, naturalem sexualis functionis evolutionem inhibendo, juvenis aortam restringit, nutritivam corporis materiem imminuit, eumque gracilem debilemque reddit: eum insuper a suo munere in posterum adimplendo prohibet, et immature ad evolutionem adducit ». Et ad hoc assertum probandum adjungit: « Nemo est, qui haud animadverterit, imperfectam et inutilem juventutem e seminariis provenire; dum e contra ex universitatibus et exercitu (!) juvenes exeunt validiores, intelligentes admodum et expediti, necnon utiliores..... Catholica religio extra et

contra naturam instituta, est metaphysica (*sic!*) omnino: impedit porro naturalem hominis evolutionem, prouti hic est societatis et humanae speciei membrum, et propterea omnes ipsius hominis formas et aptitudines ita evolvendas satagit, ut naturales simulent inclinationes. Hominem vult humilem, obedientem, servum, absque ambitione et audacia, et sibimetipsi naturaeque inimicum.

Beati pauperes spiritu, et gloria carnem humilianti! Impossibile videtur, quod per tot saecula humanitas amplexa sit talium praeceptorum proclamationem ».

Sed a Venturi quis quaerere posset, utrum, juxta ipsum, habendi sint homines tamquam animalia reproductioni dumtaxat destinata; et in casu affirmativo nihil aliud esset mundus, nisi quoddam magnum institutum illis omnino simile, quae a Gubernio fundantur, ut sufficiens servetur equorum et boum reproductio.

At, nugis relictis, illiusmodi verbis tam parum serenis alia opponere licet, quae doct. Good, hygienista clarissimus, et cujusdam aextimatissimi operis auctor, profert.

Quaenam revera sunt castitatis damna praesumpta? En quomodo huic interrogationi doct. praefatus respondet: « Proprius igitur accedamus..... inspiciamus, examinemus.... quidnam heic est?.... — Nihil prorsus. — Quomodo nihil?!..... — Absolute nihil. Vos ego lacesco ad inveniendum, in tota medicinae historia, penes populos omnes, vel unum morbum, unum dumtaxat, intelligitis! unum, inquam, qui ex abstinentia a sexualibus relationibus causari possit. Percurrite bibliothecas, eminentissimos omnium Europae et trans mare universitatum professores, et medicos *tali nomine dignos* consulite; et si unam tantum sententiam honorato nomine subscriptam, vel unum tantum locum alicujus libri *serii*, auctoritate pollentis ratione medicae scientiae, in quo studium vel investigatio respiciat aliquem cujuscumque generis morbum ex continentia provenientem, aut saltem unam quidem affirmationem rite probatam, aut facta quaedam

praecisa, quibus certo constet, continentiam causam esse posse quorumdam morborum, si unum ex his, inquam, mihi attuleritis, ego illico et immediate paginas istas comburam, et ad perpetuum silentium memetipsum damnabo.

Quod si vigilanti verbo usus sum, *serios* libros appellans et medicos *tali nomine dignos*, hoc ideo est, quia ingenti omnium calamitate integra habetur literatura pseudo-medica, cujus auctores super morbosam plurimorum curiositatem negotiantes, quae tot personas excitat ad delicata puncta aliqualiter dignoscenda, de quibus medicina pertractat, secreta pandere jactant, quae nonnisi in eorum imaginatione inveniuntur, vel aphorismata enuntiant, ad genus illius praejudicii vulgaris pertinentia, de quo loquimur, (*il faut que la jennesse se passe);* et hoc totum ad hunc finem dirigitur, ut occultae lectorum inclinationes palpentur, et illorum librorum editiones augeantur. At isti profecto medicam pornographiam conficiunt, et servorum scientiae titulo penitus indigni sunt ».

Sed altera adhuc contra castitatem incriminatio, quod nempe sexualis exercitii repressio pessimas producit aberrationes. Dicitur enim, ut refert doct. Bellini, quod abominabiles inversiones, onanismus, sodomia, pederastia, et peccatum bestialitatis sunt veneniferi fructus earum institutionum, in quibus mutuae inter diversi sexus personas relationes prohibentur. Sed huic affirmationi respondet idem medicus, dicens, quod vitia haec omnino detestabilia quandoque utique inveniuntur, tamquam casus sporadici, in collegiis, militiae domibus, carceribus, sed haec solum ostendunt, quod coactae abstinentiae non semper correspondet, ut apparet in praevaricatoribus, efficax voluntas appetitus compescendi (1).

(1) Cfr. quod dicit Graft-Ebing de causis pathogeneticis casuum inversionis sexualis acquisitae, quas supra recensuimus (pag. 59, sqq.): cfr. infra cap. VII.

Objicitur etiam, quod homines casti nervei systematis morbis sunt obnoxii. Venturi jam supra citatus asserit, quod qui repressionis religiosae omnem subeunt influxum, in evolutionis periodo seniles evadunt vel dementes; nevrotici insuper fiunt, qui contra impulsus et exigentiae sexualis excessum dimicant atque in certamine exhausti occumbunt. Nervea namque istorum activitas, violenter repressa in naturali sexualitatis cursu aliam ingreditur viam, et convulsiones deliriumque generat.... In praxi carnis mortificatio ad solitarium ducit amorem, ad dementiam, nevrosim, sexuales perversiones, hypocrisiam, et ad personalitatis depressionem ».

At hisce objectionibus responsionem perspicuam exhibent ipsae medicae recensiones, quae clarissime ostendunt, personarum classem cultui sacratam (in qua includuntur sacerdotes, fratres et moniales) tum manichomiis, tum decessibus ex systematis nervei morbis causatis, aliis omnibus minorem, agricolis exceptis, numerum suppeditare.

Excepta, inquimus, agricolarum classe, quia ista maxime in regionibus, ubi viget quidam cutis morbus, vulgo *pellàgra*, minimum quidem psycosi vel nevropaticis formis numerum praebet: quod evidenter ostenditur non tantum ex Italiae recensionibus, sed etiam Germaniae, Galliae et Angliae, ut quisque ex hygieneos manualibus perspicere potest.

Verum equidem est, quod pro castitate tuenda difficile admodum et laboriosum certamen est ineundum; sed hoc quoad illos praesertim verificatur, qui habitum contraxerunt cupiditati morem gerendi. Et revera si ex his quispiam in militari quadam domo, in collegio, in carcere includatur, maxima facilitate afficitur sexuali inversione, fit masturbator, vel saltem mente turbatus aut nevroticus. Hoc tamen illis non accidit, qui habitu in suas dominari solent passiones, et firmam habent voluntatem contra sensus ob labo-

rem praesertim et defatigationem; in his porro difficile ad modum et molestum nequaquam erit certamen. Ut enim merito affirmat doct. Bellini, qui in labore alacri vivunt, jamque continentiae habitum possident, certamen facile experiuntur; quia actus, ab initio eliciti ex deliberatae voluntatis conatu, postea veluti inconscie sponteque, vel quasi automatice repetuntur (1).

Sed alia praeterea examinanda occurrit objectio, quae in medicinae libris plerumque prostat, et contra caelibatum proponitur. Dici nempe solet, caelibatum quam gravia damna causare: et ad hoc probandum, doctoris Hufeland observatio refertur, ex qua constaret, quod conjugati tardiori, quam caelibes, aetate moriuntur; quod caelibes majorem dementium numerum suppeditant; quod frequentius in his quam in illis suicidium habetur. Uno verbo asseritur, caelibes majorem prae conjugatis organicam et psychicam morbositatem exhibere.

Ad rem autem est opportuna distinctio, quam jam a suis temporibus contra illam affirmationem adhibuit Scotti: nimirum: Caelibes alii sunt *coacti*, hique sunt, qui hujusmodi statum amplecti obligantur, vel politicis dispositionibus, vel occonomicis causis, vel superiorum dolo. Alii autem sunt caelibes moribus perditissimi, *(libertini)* qui nempe vinculum conjugale, remedium tam aptum tot tantisque morum dissolutionibus et intemperantiis, eo fine recusant, ut liberius et effrenatius libidinibus suis indulgeant. Alii denique sunt caelibes *virtuosi*, qui vel ad tempus vel in perpetuum a matrimonio se abstinent, ut primos divinae gratiae suaves impulsus sequantur.

Jamvero a primis duabus categoriis suppeditatur quidem carceribus et manicomiis numerus ingens, sed

(1) Cfr. infra cap. VII; cfr. etiam: Gemelli, *Il segreto per essere felici. Note sui progressi della psicologia in rapporto alla educazione del carattere,* Milano, Ghirlanda, 1908.

a tertia nequaquam; quod ex criminalibus censibus evidenter apparet. Ex istis enim clarissime constat, quod coelibes virtuosi (sacerdotes, fratres, moniales) quantitatem fere negligendam inter deliquentes psycopaticos et suicidas repraesentant.

Quod factum facillime explicatur ex eo, quod caelibes coacti et licentiosi, utpote qui moralibus matrimonii vel castitatis voti vinculis soluti, facilius vitiis se dedunt, et pro tanto etiam labiliorem, morbidioremque suum organismum reddunt.

Quoad longevitatem vero meminisse sufficiat, quod Moureau et Layrand ex civico censu gallico ostendunt: nimirum, ecclesiasticos hujus nationis annuam mortalitatem exhibere pro ratione 25 pro 1000, seu vitam eorum computari ad 65 annorum aetatem pro singulis, quae certe longe major est prae aetate omnium ceterorum, qui aliis professionibus sunt addicti.

Haec autem omnia clare demonstrant, quod morbi ex castitate causati nonnisi in eorum phantasia inveniuntur, qui temere hos existere affirmant. At referre praeterea juvabit nonnulla medicorum ac hygienistarum judicia.

Et sane, dr. Iames Paget inquit « Castitas nec animae, nec magis corpori nocet; ejus disciplina ceteris omnibus est praeferenda. Continentia possibilis est, quando quis semetipsum debita reverentia prosequatur. Ex multis propter commercia immoralia nevropathicis atque hypocondriacis, qui ad me consulendum accesserunt, ne unum quidem audivi, qui melius personis castis se haberet, vel esset felicior »..... « Viget quaedam opinio quam maxime falsa. Hanc oppugnari necesse est, quia non tantum filiorum, sed etiam parentum obsidet animos; et confirmare genitores videtur in accomodatione ad malos filiorum mores: opinio, inquam, de imaginariis absolutae continentiae periculis ».

Doct. Corral y Maestro, valladolidensis professor pathologiae generalis, affirmat: « Nonnulli continen-

tiam ponunt inter causas, quae pathologicas dehordinationes producere possunt.... et multi insuper defendunt sexualium appetituum irresistibilitatem. Hinc quidem aliqui scriptores motivum sumunt ad bellum contra bonos mores inferendum, quod tam antiscientificum, quam immorale est habendum....

« Summae auctoritatis homines contra hujusmodi incitationem ad vitium clamaverunt, quos inter Doct. Fere, qui enixe illorum ignorantium affirmationes impugnat, quos appellat « *evolutionis sophistas* ». Et merito quidem; nam hi contendunt, quod instinctus necessitati obtemperandum sit statim ac ipse percipitur, et eo magis, si de sexuali agatur, quia organorum nutritio functioni ipsorum propriae subordinatur; atque sexuali instictui resistere idem aequivalenter est ac speciem destruere.

Feré e contra dicit, quod « sexualis instinctus evolutio terminat ad castimoniam, et qui hanc servaverunt, meliores, quam alii, coniuges sunt, melioresque patres ».

Doct. Perier inquit: « Iuvenum virginitas tutamen est physicum, morale et intellectuale ».

Graft-Ebing, clarissimus psychiatra, aeque explicite ait: « Magna hominum pars, quae normali gaudet constitutione, suas potest refraenare cupiditates, quin ex tali continentia vel minimum detrimentum valitudo patiatur ».

Acton dicit: « Absoluta juvenum continentia ante matrimonium potest et debet observari ».

Celebris quoque hygienista, Good, scribit: « Adolescentulus, non secus ac puella, sese continere addiscat, donec ejus tempus advenerit. Hujus veritatis persuasio quanto major erit, tanto major etiam capacitas inerit virginitatem servandi. A critica quippe hac periodo futura ejus dependet felicitas, maxime quoad matrimonium.

Scire enim ipse *debet*, quod hujus suae mortificationis necnon voluntarii sacrificii merces erit valetudo floridior cum vividiori erga sponsam amore etc. etc. ».

Sed audiamus et alium, Sir Lionell Beale, professorem in *Royal College of London.*

« Numquam satis repetendum, ait, absolutam abstinentiam et puritatem optime componi posse cum physiologicis et moralibus legibus, satisfactionemque sexualium appetituum non magis a psycologia et et physiologia, quam a religione et morali doctrina multari ».

Doct. Surbled, ob sua opera de vita sexuali notissimus, incontinentiam strenue impugnat, et docet: « Caelibatus naturae contrarius nequaquam est, ut a pluribus putatur et iterato dicitur....

Sexualis vita necessaria haud est, sicut est necessarium manducare et bibere, pro nostra existentia: ad matrimonium enim tantum ordinatur, idest, ad reproductionem; non igitur a propria finalitate detorqueatur ».

Mantegazza, cuius noti sunt libi de amoris hygiene, scribit: « Numquam vidi ne unum quidem morbum a castitate causatum ».

Doct. Good refert magni momenti declarationem, quae a medica facultate universitatis Cristianiae urbis prolata est, videlicet: « Assertio recenter a nonnullis enuntiata, et a diariis publicisque conventibus repetita, puram nempe vitam saluti nocumentum afferre, juxta nostra experimenta, *unanimiter comprobata*, quolibet destituitur fundamento. Nos etenim numquam unius vel mimini damni, a vita absolute pura et morali causati, aliquam cognitionem habuimus ».

Idem doct. Good inquit: « Vos certe aspexistis equos trahentes currus vectorios vel illos, qui vulgo *tramway* appellantur. Ut gravem potuerint equi illi perficere laborem ipsis impositum, admissarii seu integri

erant profecto eligendi; cum hi autem evolutionis completae aetatem adepti sint, evidens est, quod sexuales habent necessitates explendas, quibus nihilominus numquam *satisfaciendo* vivunt atque moriuntur. Ob idipsum vero pejusne se habent? Aspicite eorum clunes rotundos, lucentes pilos et jubam; et quam pulcherrimi appareant, considerate, praesertim cum gravissima pondera moliuntur: et nunc dicite mihi, quanam aegritudine robusta haec animalia laborent ».

Quam plurium auctorum citationes retulimus, quia nimis diffusum habetur praejudicium, juvenem necesse esse sexualia habere commercia: *il faut que la jenuesse se passe.* Adversus hanc *necessitatem* honesta scientiae cultorum, quos citavimus, verba alte admodum clamant.

§ 2. — De continentiae commodis.

Hucusque vidimus castitatem nullum damnum causare; adjungere immo possumus, quod, tam sub respectu physiologico quam psycologico notabiles, ipsa utilitates et commoda affert.

Et revera, physiologiae investigationes jam demonstrarunt, duos in organismo glandularum typos extare: quorum *primus* specificam et ita dictam *externam* secretionem operatur, quae per ductus excretorios emittitur et effunditur in superficiem cutaneam, vel mucosam introflexam (tubuli digerentis, viarum respiratoriarum, apparatus genito-urinarii), et *secundus* nullum excretorium ductum habet, ideoque *externa secretione* caret; et propterea glandulae hujusmodi nonnisi *internae secretionis* sunt capaces.

Quidquid vero secernitur, in glandularibus spatiis colligitur, et cum determinatam tensionem attingit, transit per poros et meatus interepithiales in spatia lymphatica peringlandularia, vel directe absorbetur a

rete capillari sanguinea, (probabiliter per vasa sinusoida Minot) quae stratum epitheliale circumdat.

Sed recentiores investigationes ostenderunt, quod etiam glandulae secretionis externae secretionem quamdam internam simul habent, quae directe vel indirecte in circulum sanguineum refunditur. Internae autem hae secretiones functionem protegendi organismum exercent, sive innocuas reddendo substantias toxicas, quae variis processibus chymicis, in organismo operantibus, in circulum sanguinis immittuntur, sive texturas reparando vel tuendo ab actione exitiali quorumdam venenorum, inter quae primum locum obtinent venena bacterica, ut, ex. gr., in immunitate contingit.

Sequens factum in glandulis genitalis apparatus verificatur: testiculus nempe et ovaria, quae elementa reproductioni necessaria suppeditant, duas praeterea speciales substantias elaborant, quae in circulum sanguineum refunduntur, quaeque — ex varii ordinis factis — tamquam secretiones protegentes habendae sunt.

Haec tanti momenti demonstratio de secretione interna testiculi et ovariae debetur Brown-Sequard.

Confirmatur autem ex eo, quod, quum ob varias morbosas conditiones, vel extirpationem, secretio istorum organorum interna deficit, manifestationes speciales in organismo notantur, quae attribui possunt perturbationibus, quibus afficitur normale augmentum, et organica compensatio. Organismus siquidem in sua evolutione comprimitur, compensationis processus remittuntur, et variorum organorum functiones lentius perficiuntur.

Ut vulgare afferatur exemplum, omnes norunt, quod hujusmodi facta in eunuchis et in casibus infantilismi manifestantur.

Brov-Sequard meritum insuper habuit demonstrandi, quod hisce in casibus ob introductionem in circulum sanguineum, mediantibus iniectionibus hypo-

dermicis vel intramuscularibus, substantiarum secretionis internae horum organorum, quae speciali methodo jam sunt apparatae, deficientis secretionis internae ingentia damna reparari possunt. Hoc profecto est, quod fit per opoterapiam seu peculiarem illam methodum, qua in organismum introducuntur extractae variorum organorum essentiae. Nova haec therapeuticae functio amplissimum medicinae opus paravit; et magni momenti studia a tempore, quo Brown-Sequard rem detexit, completa sunt, quae non modo confirmarunt viritatem a Brown-Sequard adinventam, sed etiam effecerunt, ut chymica secretionum internarum compositio determinaretur, earumque physiologicus statueretur mechanismus. Secretionis autem internae, testiculi propriae, efficacia nobis ostenditur ex effectibus, qui obtinentur ex subministratione materiae testicularis extractae in casibus exhausti organismi, et senilis debilitationis, necnon in quibusdam nervei systematis morbis, *in morbo* Paget, in nonnullis distrophiis, in infantilismo, in stoliditate, etc. Meliores etiam effectus habiti sunt ex ovarina, ex. gr., in clorosi, in osteomalacia, etc.

Hisce praemissis, evidens est, — ad virum quod attinet — quod si testiculus cogitur ad magnam externae secretionis substantiae — seminis virilis — quantitatem elaborandam, secretionis internae materiam in quantitate sufficienti elaborare nequit, seu ob protractum sexualis vitae usum necessaria organismo materies subtrahitur. Ob absolutam igitur castitatem magna organismo accrescit utilitas, quia profecto refunditur in circulum sanguineum major secretae testicularis internae substantiae quantitas, cujus beneficus influxus in totum organismun et praecipue in nerveum systema non parvi faciendus est.

Aliud insuper attendere factum juvabit. Externa nempe testiculi secretio in spermaticas vesiculas re-

funditur, ibiqui adservatur usque dum physiologice ex coitu, vel nocturnis involuntariis pollutionibus expellatur. Iamvero, per illud tempus, quo in spermaticis continetur vesiculis, ob organismo per limphatica vasa quaedam ejus pars absorbetur, quae pretiosam augmenti materiem constituit.

Ad rem jure observat doct. Blanc, quod copula in matrimonio prospicit normali vesicularum depletioni; absorptio vero in casu — dummodo non adsit abusus — sufficiens est, etsi certe minor sit, quam in continentia; in qua organismus per involuntarias periodicas pollutiones vesicularum vacuationi consulit.

Atque heic ad mentem revocare praestat, quod idem medicus docet: « Haec physiologica vesicularum depletio, cui natura ipsa prospicit, nec lassitudinem nec delibitationem producit: per ipsam enim solummodo expellitur, quod non inservit; unde post illam vacuationem novas quisque animadvertit se recepisse vires ».

Quibus addenda doctoris Fonssagrive justissima verba: « Nocturnae pollutiones, quae identidem longo temporis intervallo contingunt, nec generalem debilitatem, nec virilitatem exhaustam efficiunt, sed salutarem e contra vacuationem constituunt ».

Quin igitur ex castitate, ut erronee a quibusdam sustinetur, serius ocius proveniat propter usus carentiam, genitalium organorum atrophia, istorum e contra physiologicus vigor augescit.

Hoc quidem tamquam verissimum tenendum est; et opinio contraria ex erronea profecto evolutionismi applicatione procedit.

Hoc unum porro ex castitate habebitur, sexualis nempe stimuli diminutio, idque propter rationes psycologicas evidentissimas: dum abusus e contra haud indifferentem erethistici temperamenti inritationem producet, maxime quoad sphaeram sexualem, quae propterea abnormiter excitabilis fiet.

Haec sunt castitatis commoda, quae ceteroquin haud primo hodie patescunt. Habitus insuper, quo passones refraenantur, potentissima causa extat pro charactere efformando (1).

« In tota antiquitate, scribit doct. Seraine, ii omnes, ex quibus aliquid extraordinarii sperabatur, ad continentiam obligabantur; tanta erat persuasio, quod sexuales delectationes cum energia corporali et intellectuali componi haud poterant ».

« Apud omnes populos, scribit Doct. Blanc, in cunctis antiquis legislationibus solemne aderat postulatum, juxta quod continentia rigide ab illis observanda erat, qui familiae efformandae destinabantur, idque propter tranquillitatem tum conscientiae individualis, tum ipsius societatis ».

Idem praeterea doct. Seraine: « Veteres germani, quorum vis et physica evolutio admirationem romanorum, aliarumque Europae nationum excitarunt, uxorem non ducebant ante annos 25, et rigidissimam ante matrimonium continentiam colebant. Narrant Caesar et Tacitus, quod penes hos populos ignominiosum erat cognoscere foeminam ante illam aetatem, in qua matrimonium permittebatur ».

Aetate hac nostra quantum diversae ab illis et omnino oppositae opiniones et mores vigent! Ex factis superius expositis, Theuriot in quodam sermone habito coram Academia Gallica (*Academie Française*) hanc conclusionem inferebat: « Nubere dum juvenis quis est beneque valens, honestam sanamque puellam eligere, hancque ex tota anima totisque viribus amare, fidamque sibi sociam et matrem foecundam efficere, operam navare ad proprios filios educandos, ipsisque, post obitum, propriae vitae exemplum relinquere; en quod in-

(1) Cfr. infra cap. VI.

terest: haec est veritas: cetera autem nonnis error sunt, delictum, amentia! ».

Aliud testimonium audiamus: « Dic mihi, adolescens, cognoscisne amicum, socium, quem tamquam quid superioritatis habentem admiraris, quoniam ab hac pseudo-exigentia necessitatibus saepe saepius effictis satisfacendi ipse se liberum reddidit? Interroges eum, quaeras, quaenam sint incommoda et damna ex continentia ipsi causata? Inferiorne tua est ejus intelligentia in laboribus? an in physico exercitio minori quam tua validitate potitur? Ego profecto, quin illum cognoscam, negative respondendum esse contendo ».

Quis forte dicet, verba haec prolata esse ab aliquo moralista austero, vel sacro concionatore, vel religioso viro, qui ex voto propter amorem Dei cuncta sacrificavit.

Sed nequaquam; notissimi quippe classis gallicae medici, doct. Good, propria sunt haec verba.

§ 3. — Incontinentiae damna.

Castitatis utilitates et commoda evidentiora etiam apparebunt ex studio de incontinentiae damnis. In homine, ut vidimus, certo aetatis tempore incipit lenta et progressiva generativae facultatis evolutio, quae rationem praebet explicandi, quomodo ipse possit ante determinatam quandam aetatem illa facultate uti. « Sat frequens, notat doct. Good, occurrit occasio observandi, quod adolescens, qui saepe nimium indulget, in legitimo etiam matrimonio, inclinationi speciem reproducendi, mox suae imprudentiae effectus experitur, et morbis ac morti grave solvit tributum ». Praematurum matrimonium, juxta computationes a Proust et Bertillon recensitas, mortalitatem valde auget: et qui in periodo evolutivo nimia frequentia sexualibus

actibus se dedunt, moralium facultatum degenerationi, ut psychiatrae demonstrant, sunt obnoxii. Notandum quoque est, quod utriusque sexus personis communes sunt hujusmodi exitiales effectus. Sed et insuper tertia pars filiorum, qui ex conjunctione individuorum nimis adhuc juvenilem aetatem habentium nascuntur, statim post vel etiam ante nativitatem perit. « Reliqua vero pars, merito inquit doct. Good, rachitica et strumosa evadit, atque dispositionem maximam praesefert affectionibus tubercularis naturae; ita parentum errores luit ».

Sed non minus graves sunt effectus abusus venerei in aetate matura: « Ex omnibus causis, quae breviorem reddunt vitam, ait doct. Hufeland, nullam agnosco, quae majorem habeat destructivam actionem, quaeque summo gradu complectatur antivitales proprietates, quam venereos abusus: *isti considerari possunt ad instar essentiae omnium eorum, quae vitam abrumpunt* ».

Sed quaenam est mechanica actionis ratio, qua sexuales excessus damna organismo afferunt? Quinam sunt funesti, quos hi producunt, effectus? Ratio facile assignari potest quoad signa indelebilia, quae excessus venerei in organismo imprimunt, si recolatur, intimam adesse unionem inter apparatum genitalem ac nerveum systema. De hac unione brevis expositio jam habita est in capite secundo. At Fonssagrive observat, « quod vacuationes vesicularum, in quibus deponitur et asservatur secretionum materies, ipsas glandulas, quae hanc materiem elaborant, ad activitatem excitant, functionem earum augendo eo majori gradu, quo numerosiores sunt hujusmodi vacuationes ». Quum itaque productio hujus specialis materiei summum attingit gradum, cellularia elementa glandularum, quae subito sese reparare nequeunt, secretam substantiam abnormi modo producunt; et elementa cellularia profundo et rapido degenerationis et dissolutionis processui subjiciuntur, in circulum ita immittendo hujusmodi dissolutionis pro-

ductam materiem, quae est venenum admodum noxium systemati nerveo.

Haec secretionis processus deviatio, deficiens spermatis absorptio, secretionis internae diminutio, quae, ut vidimus, substantia est protectiva totius organismi, et praecipue systematis nervei, gravia explicant damna, quae venereus abusus in viro producit. Ad foeminam autem quod attinet, observandum est, quod ipsius magis quam viri genitalis apparatus directe et indirecte nectitur (speciatim mediante nervo grande-sympatico) cum systemate nerveo centrali. Sexualis actus cum notabili sanguinis affluentia ad genitalia organa perficitur, atque ideo cum consequenti aequilibrii defectu in sanguinea pressione, necnon cum peculiari tensione systematis nervei.

Omnia autem haec facta, saepe saepius iterata, depressionem (1) determinant in systema nerveum centrale et *grande-sympaticum*, hisque mediantibus, in cetera quoque organa visceralia. Unde generalis organismi debilitatio, relassatio processuum, nutritioni texturarum inservientium, et praesertim influxus graviter noxius in memoriam et intelligentiam, etc. Hoc pacto graves systematis nervei perturbationes intelliguntur, amnesiae, neuropathiae, nevroses etc. Istiusmodi equidem effectus ex sexualibus dumtaxat abusibus sequuntur, nec post unum tantum vel paucos actus sexuales manifestari possunt; sed rite tamen perpendatur, quam facile sit, passiones hominem trahere ad limites praetergrediendos; et quod ex usu, sensim sine sensu, novae impellentes necessitates formentur, quibus communibus mediis resistere admodum difficile fit.

---

(1) Vocibus nccessario utor, quae scientifice non tam exactae forsitan habentur: sed ita loquendum existimo, ut omnes comprehendant.

Semel pro semper hoc animadvertisse sufficiat.

Notandum praeterea, quod sexuales abusus ab iis, qui matrimonii vinculo non sunt conjuncti, plerumque patrantur. Iamvero hygienistae aperte demonstrant, quod in sexuali commercio, inter sponsos habito, (commercium, inquam, quod mutuum desiderium, ab ipso communi vitae influxu determinatum, moderatur) vera habetur manifestatio physiologica, in qua, ut expressione utar doct. Good, pulcherimme reassumente complexum factorum, quae sunt physiologis notissima, mulier viro reddit quamdam virium portionem, quas ipse consumpsit: dum e contra in illicitis vel clandestinis, vel occasionaliter admissis sexualibus actibus cum persona, quam quis forsitan amplius non videbit, aut quod pejus est, cum seipso, tale virium habetur dispendium, ut ne minimam quidem earum partem unquam recuperaturus quis sit, quia ad actus illos perficiendos excitatio exigitur non physiologica, sed abnormis, ob quam systema nerveum post breve tempus graviter perturbatur.

« Eheu! amare exclamat doct. Good, scio equidem, quod *expenditur* absque reflexione, supponendo, fictitiam excitationem attrahentem indicium esse virium novarum; sed nemo est *adeo locuples*, qui in ruinam non labatur, si *expendat*, quin expensi rationem habeat: et ne expectes, mihi crede, lector amice, tuam jam completam ruinam, ut mea audias consilia ».

Serius ocius, at semper, at indeclinabiliter, sexualibus excessibus natura rebellat, suamque contrarietatem per morbos et infirmitates patefacit.

Perspicuum enim est, quod organismus ea ratione, quam supra retulimus, enervatus, minorem exhibet resistentiam contra morbos, qui undequaque vitam minantur. Medici equidem hanc veritatem docere vos possunt! Et revera: quadam die filium suum mater ad medicum ducit; signa apparent evidentia pergravis anemiae; systema glandulare limphaticum excessive evo-

lutum, musculares motus flaccidi, nerveum systema languidum.... medicus adolescentem examinat; physiologica illius organismi paupertas rationem praebet judicandi ipsum tuberculosi dispositum subjectum; hanc insuper infectionem horrendam jam illum attigisse, manifestarique primis subdolis signis. Sed quaenam rei causa? In familia etenim nulla habetur haereditas morbosa: mater autem auxia medicum certum reddit de bona filii valetudine, et eheu! misera, vellet, severum judicium realitati non esse conforme. Sed medicus jam omnia bene novit! Paucae equidem, sed categoricae, remotis testibus, interrogationes, incauto juveni dolorosam confessionem extorquent....

Iuvenibus igitur maxime commendanda est lucta, et vehemens quidem, praecipue si jam lapsi sint, contra sexuales stimulos, qui adeo sunt praepotentes: oportet enim, ut futurae familiae sese conservent, ad quam formandam sunt destinati. Unam tantum infectionem indicavimus; sed quot aliae contingere possunt, quando maximi excessus naturalem diminuerint immunitatem, quae profecto omnibus aliis praestat in ratione praesidii.

Sed ulterius luxuriam comitantur quamplures nervei systematis morbi. Inter alios quaedam habetur forma, quae *nevrastenia sexualis* appellatur, quia propriam adinvenit causam in sexualibus excessibus, qui considerandi insuper sunt tamquam momenta gravissima in pathogenesi cujuslibet nevrasteniae, sive sub forma *neuroyperistenica* sive *neurastenica.*

Idem de *hysterismo* dicatur.

Denique vero, militaris quidam medicus inquit, si rerum justitia illico non advenit, nihil ipsa amittit expectando: extat enim morbus, *dorsalis tabes* (*ataxia locomotiva*) nuncupatus, qui in matura aetate manifestari solet, et eo formidolosior, quo insanabilior; quique, ut plurimum, causatur sive ex praematuris sexualibus commerciis, sive ex abusu in maturiori quoque aetate,

sive etiam ex aliquo inter tot foedissimos morbos, qui ex iisdem actibus proveniunt.

Intime quoque cum systematis nervei morbis, ob suam pathogenesim, variae psychoseos formae nectuntior. Et revera ipsius Kraft-Ebing, Denivier, Moll aliorumque studia clare demonstrarunt, quod sexuales inversiones, uranismus, et cohors universa turpium contra naturam vitiorum, quando sunt acquisita, efficacissimam causam inveniunt in excessibus sexualibus. Illicita etiam sexualia commercia, tum in viro, tum in foemina, varias genitalium organorum affectiones gignunt, a quibus enumerandis abstinemus; sed de his tantummodo, quoad foeminas, animadvere juvabit, quod graviter in filiorum vitam influunt, et, quoad viros, quod gravissima in senectute incommoda pariunt.

Pudoris insuper velamine tegimus turpes illos, quos secretos morbos appellant; sed abstinere tamen non possumus a quibusdam computationibus lectoris attentioni subjiciendis, quae profecto terrorem injiciunt.

In Italia, anno 1900, extabant 148 cellaria celtica, (*dispensarî celtici*) ad quae, viris foeminisque numeratis, 82,215 individua venerea confluxerunt.

Animadvertatur vero, quod hujusmodi numerus valde est inferior reali, tum quia haec cellaria pro pauperibus dumtaxat habentur, tum quia multi ad medici operam non recurrunt, tum denique quia non omnes civitates ea possident.

In Italia pariter, quotannis 16,000 circiter venerea affecti lue nosocomiis recipiuntur; huc accedit, quod penes italum exercitum singulis annis, militaribus nosocomiis, a 4000 usque ad 5000, venereo morbo infecti milites excipiuntur: hinc manifestum est 124 pro 1000 turpi morbo laborare. Insuper, In Italia quoque 2000 circiter quotannis syphilitico confecti morbo de vita decedunt; qui tamen numerus rei veritatem non adaequat; varii enim adsunt casus, in quibus ob circumstan-

tiarum complexiones diversa assignatur mortis caussa. Adhuc in Italia singulis annis numerantur 2100 illegitimi et 1700 legitimi, qui mortui nascuntur, omnes autem, ut plurimum, ob syphilidem paternam vel maternam. Census publicae assistentiae parisiensis infantium mortalitatem a syphilitico morbo illatam pro ratione 40 pro 100 computant, imo saepe hunc numerum excedunt. Fournier, celeberrimus syphilo-graphus, ait, quod si mater vel pater syphilide affecti sint, foeto transmittitur morbus pro ratione 92 pro 100, mors vero foeti contingit pro ratione 67 pro centum.

Computatio doct. Vorak exhibet pro 29 familiis, syphylide infectis, nativitates 163, totidemque decessus.

« En syphilidis martirologium! exclamat doctor. Clood post allatas computationes ad Galliam spectantes. Ad vos autem nunc pertinet considerare, utrum in nota describi velitis! » (1) His positis, dicat igitur aliquis, oportere juvenes sexualibus uti commerciis!

Quibus hucusque expositis mala moralia non addam, quae incontinentia producit. De re quippe morali tractatus, et libri, qui de spiritus moderatione agunt, illa recensent. Hos igitur conferant lectores, videantque, an pati melius sit, quam labi in duro contra sexuales instinctus certamine.

§ 4. — De sexualis appetitus invincibilitate praesumpta.

Utilitatibus cognitis, quae ex castitate proveniunt, damnisque incontinentiae demonstratis, opinionem quamdam sat late diffusam nunc examinare debemus. Asseritur nempe irresistibilis esse appetitus sexualis, adeo ut, licet continentiae commoda recognoscantur, impossibilis tamen adhuc retineatur castitatis observantia.

---

(1) Doct. Bellini, *Venus dolorosa,* Milano 1906.

Hujusmodi praejudicium statim destruere necesse est, quia, ut merito observat doct. Blanc, quodnam nobis esset emolumentum scire castitatem valde saluti utilem esse, nisi etiam acquiri a nobis ipsa posset?

Consideranti igitur societatis actualis conditiones perspicuum apparet, duplicem illam affirmationem adduci ad justificandam rationem agendi eorum, qui sese continentes servare nescierunt vel noluerunt.

Nos itaque, ad castitatem quod attinet, contradictionem deprehendimus sat singularem et miram, videlicet, dicendum videretur, quod pudor, continentia, turpis vitii horror virtutes debeant esse essentialiter et exclusive foemineae; et virorum agendi ratio occasionem praeberet opinandi, continentiam ab ipsis servandam nullatenus esse virtutem, sed potius dedecus et opprobrium. Accidit enim, quod viri, qui prae ceteris secreta norunt libidinem explendi, a foemina continentiam imperiose exigant. « Libido, — nuper scripsit quidam medicus in libro (1), audaci quidem, sed veritatibus adeo lugendis referto — hinc, in sexu forti, est virtus, illinc, in sexu debili, est culpa. Major virorum pars libidinosa extat, et in excusanda propria libidine effraenaque incontinentia concordat. Unde clare perspicitur, quod in vita practica moralitas humana intra limites prorsus absolvitur utilis et delectabilis, prout majori parti placeat. Hinc fit, ut, dum libidinis crimina a lege puniuntur, comuni e contra consuetudine, ipsa lege fortior-, sive verbis, sive scriptis, tam in publicis viis, quam in choreis, in ludis, in bachanalibus, in theatris, in tabernis, iisque praecipue quae *Café-chantants* vulgo appellantur, veluti publica firmentur sanctione.

Nauseosa hujusmodi conventionis socialis hypocrisis evidentior apparet observanti modum, quo in propria domo fratres, mariti, vel patres, qui in conventiculis

(1) Doct. Bellini, *Venus dolorosa,* Milano 1906.

laetis turpissime se gerunt, veluti feroces se ostendunt quoad morum puritatem. Lamentabilem sane rem, sed utinam haud veram!

In lubrica illa aetate, qua adolescentulus primos experitur stimulos sexuales, qui materiam praebent secretis colloquiis, voluptuosum instinctum augentibus, singularem hanc contraditionem ille introspicit; se vero marem persentit, et propria virilitate uti vult.... Occasiones non desunt, neque sodales jam corrupti, juvenes nempe adulti, qui extremas pudoris manifestationes in nostro adolescente irrident; ipsique ostendunt, viri equidem esse sexualem actum, naturae non esse inferendam violentiam, sensusque morales ac religiosos male et incassum opponi impulsus naturae satisfactioni, omnesque tandem aliquando ita se gerere. Adolescentulus, de vitii semitis adhuc ignarus, primo erubescit, monita paterna, lectionesque bonas recordatur, et vellet.... sed haesitat; alicujus morbi contraendi timor eum refraenat.... At vero tandem sociorum irrisiones ejus renitentiam devincunt.

Ad ejus enim aures susurrant, quod qui continentes videntur, solitariae Veneri indulgent, vel forsitan *viri* nequaquam sunt, ut alii omnes.

His porro addatur, quod primis sexualibus instinctibus, qui violenter pluries displodunt in adolescentulo certamini haud parato, invicte resistere validam prorsus requirit inhibitoriam virtutem.... Labitur adolescentulus noster.

Verum equidem est, quod a primis in puritatem offensionibus moerore, taedio et animi dejectione percellitur; suam putat culpam omnibus notam, imaginatur, quod pater et mater ipsum more solito osculando et amplectendo quid novi deprehendant, veritatemque in ejus veluti fronte legant; naturalis pudor, bonae inspirationes, generosi habitus, religiosae educationis et instructionis fructus, ipsum taciturnum efficiunt, rubore

perfundunt, et exagitant, quotiescumque admissae culpae memoria reviviscit. Sed omnia haec quid juvant, quum in schola et in via socios inveniat, turpissima plenis buccis jactantes facinora?

Nec quis dicat, id accidere tantum, ubi materna et religiosa deest vigilantia. Nam quotidiana haec est, et sane lamentabilis experientia, quam ex confessionibus dolore plenis accepi penes aegrotorum cubilia, tam in pauperum et operariorum, quam divitum domibus, in collegiis, nosocomiis et carceribus, primum nempe et commune in lubricam viam iter tali modo unumquemque arripuisse.

Hisce aliam quoque non minoris momenti considerationem addere oportet. Extat enim quaedam mulierc ularum classis in vitiorum coenum prolapsa. Major autem earum pars ad ehaeredatum societatis coetum pertinet. Inexperentia siquidem, educatio et religiosus sensus deficiens, necnon privatio bonorum, quae sunt vitae necessaria, ingentem puellarum numerum in praeceps adducit. Mirandumme igitur cuipiam videbitur, quod, tot tantisque concurrentibus causis, ipso quoque vitiis saturo aere circumdante, tentationibus hinc inde quam plurium seductorum aggredientibus, miserae istae puellae tandem aliquando cadant, ac postea ad corruptionis ima, egestate quoque impulsae, descendant?

Societas hodierna has infelices nonnisi despectui habet, nec manum ipsis porrigit, quando sublevari possent, et ita panem honeste sibi lucrari valerent: quod profecto facillimum foret. Nam nosocomia frequentantibus, ubi harum mulierum ingens est numerus, evidenter constat, quod, iis exceptis, quae a psychiatris *prostitutae-natae* appellantur, plures aliae sunt, in quibus bonae adhuc inspirationes et quidam salutaris animi dolor inveniuntur, ita ut minimum quid satis esset ad eas eripiendas e tristissimis conditionibus, in quibus

versantur propter vincula commercii nefandi, queis vitium vel potius vitiosissimi homines illas adstringunt.

Hoc enim vero omnes perpendant oportet. Tam alti sane contra prostitutionem clamores, tam ferox adversus istas mulierculas despectus, ad quid? Quotquot puritatem affectatis, scitote, quod causa malorum altius quaerenda est. Et revera consociatio hygienica paucis abhinc annis in Belgio exorta aperte affirmavit, corruptionis causam ex immani illo paradoxo repetendam esse, quo licitum vel saltem tolerabile in viro admittitur, quod in foemina gravis esse culpa censetur. Immane, inquam, paradoxum, cujus causa quotannis harum infelicium numerus augetur, attingens in quibusdam civitatibus, ex. gr., am Brixiae, summam praegrandem et terrificam.

Nec dicatur, quod meretricium unum ex illis est signis, quae miseriam repraesentant. Contra hanc enim erroneam affirmationem civiles census clare loquuntur. Unum tantum exemplum adducam. Joly expendens quae apud Belgas (1) patrantur crimina, valide demonstravit, criminalitatem, alcoolismum, meretricium ibi maxime haberi, ubi operariorum merces summo pretio retribuitur; dum e contra ubi stipendium supra medium paullisper elevatur, ibi morale et oeconomicum bonum potissimum esse.

Unum igitur possibile ac necessarium remedium contra meretricium et caetera crimina ipsum comitantia, ex ipsoque provenientia, est destructio paradoxi supra-relati. Mulier enim carne et ossibus constat, sicut et vir: in ipsa quidem concupiscientiae fomes minus gravis haud est: quin immo ratio sane extat, ob quam majorem ipsa indulgentiam mereretur, quia systema ejus nerveum excitabilius, sensus vividiores, ipseque mobilior

---

(1) *La Belgique criminelle,* Paris 1907.

animus totidem causae sunt, quibus mitius ferendum esset judicium de mulieris, quam viri lapsu, et illius reatum minoris gravitatis censeri oporteret. Oh! quam dolorosam actualis societatis conditionem! Sed quaenam sunt rationes, quibus praejudicium illud, fons tantorum malorum, de irresistibilitate sexualis appetitus propugnatur?

Quaedam in primis affertur ratio, quae scientificae argumentationis speciem praesefert. Irresistibilitas, inquiunt, sexualis appetitus est effectus degenerationis et haereditatis.

Societas nostra, addunt, terribilis sane morbi stigmata exhibet ab haereditate obsignata, quorum causa organismi sunt flaccidi et deformes, voluntas incapax et debilis, intellectus obnubilatus.

Sed, ut huic difficultati satisfiat, sciendum est, quod Morel quamdam novam categoriam sub ratione mere psychiatrica invexit, cui nonnullas assignavit formas morbosas; quamque *degenerationem* appellavit, intendens hoc nomine designare *morbosam deviationem normalis humanitatis typi.*

At brevi, ob influentem Moreau autoritatem, opinio invaluit de existentia cujusdam ligaminis haereditarii *idiosynchrasici* (i. e. peculiaris temperamenti) inter compressionem vel defectum evolutionis et amentiam ac nevrosim ex una parte, atque inter crimen et genialitatem ex altera; adeo ut primigenius degenerationis conceptus cito ampliatus fuerit, atque, ut observat Morselli, — haud suspectus sane testis — sufficiens habita sit praesentia, plus minusve probata, cujuscumque morbosi, et transmissibilis germinis in aliquo ascendente vel collaterali ad declarandam *degeneratricem* quamlibet familiaris haereditatis formam vel productionem, et ad *degeneratum* definiendum, qui ligamen descendentiae vel consaguinitatis haberet cum iis, qui germen illud praesetulerunt. Quamobrem arbor genealogica haereditatis physio-psychicae facta est arbor de-

generationis; atque ita omnis manifestatio individualis physio-psychopathologica habita est ut synthoma vel stigma degenerationis, quae deinceps nullam prorsus limitem passa est.

Et revera *Schola criminalis Italica*, vel Lombrosiana schola, cui plures et rebelles discipuli addicti sunt, licet bene merita de auspicatis anthropologiae criminalis studiis, degenerationis tamen theoriam ad absurdum usque adduxit limitem; ejusdemque ope humanae libertatis doctrinam destruere praesumpsit, ipsi substituendo coecum *fieri*, coecumque *operari*, quod unice vel fere determinatur a causis haereditariis, quae sese manifestant in compagine anatomica, vel in functionibus physiologicis et pathologicis.

Unde factum est, ut vox *degeneratio* adhibita fuerit ad explicandos omnes actus humanos; ac de ejus utilitatibus et commodis sermo habitus sit, et eo admodum vox ista fuerit discerpta, ut tandem aliquando, quemadmodum observat Ribot, suspecta evaserit.

Praeterea quoque, ut scribit Morselli, doctrina de degeneratione ausu temerario e clinicae septis prosiliens in quotidianas ephemerides, in literariam criticam, atque in justitiae aulas deportata, etiam inter scientiae profanos divulgata fuit, qui eam amplexi sunt tamquam facilem et commodum modum comprehendendi, aetimandi necnon justificandi ingentem manifestationum numerum, quae vel raro vel unice in psyche individuali et collectiva contingunt (1).

Inter faciliores autem hujuscemodi doctrinae applicationes illa recensenda est, quae *sexualem* spectat *quaestionem*. Appetitus siquidem sexualis, cui nemo, dicunt, resistere potest, homines trahens ad dehordina-

(1) Cf. Gemelli, *Le dottrine moderne della delinquenza*, Libreria Edit. Fiorentina, Firenze 1908, ubi doctrina psychiatrico-antropologica degenerationis refutatur (caput II).

torum potentiumque impulsuum satisfactionem, haereditatis est fructus; et in nobismetipsis aliquid habemus, haereditate transmissum, quod ratum fixumque est, et luxuriosos nos efficit. In nobis item primitivus homo silvester identidem renascitur: actiones nostrae turpes esse quandoque possunt, quia patres nostri, praegr ndes nempe simiae antropideae ad epocham tertiariam pertinentes, lubricam hanc iuclinationem simul cum organica constitutione anatomica in nos transmiserunt. Haereditas praeterea fixas in nobis statuit omnes degeneres aptitudines cunctosque nostrorum atavorum habitus pravos.

Iamvero quodnam habet fundamentum haec doctrina?

Haereditanturne revera isti habitus pravi? (1).

Psycologia docet, quod intelligentiae et voluntatis actus non eo ipso momento, quo eliciti sunt, totaliter ita cessant, ut nihil eorum remaneat: sed aliquid velut impressum vestigium post se relinquunt, quod ex repetitis actibus, quasi successivis stratis, augetur, et fundamentum fit, cui firmitas voluntatis innititur (2). Voluntatis potentia, quae suis conatibus iterum atque iterum malo resistit, et bonum exequitur, gradatim habituales dispositiones acquirit, quae virtutes dicuntur. E contra

---

(1) Lombrosianam de degeneratione doctrinam omni ex parte hic confutare non intendimus: breviter tantummodo indicamus, quid ex scientifica et serena indagine logice et manifeste constat. Qui ampliorem tractationen desiderat, nostrum conferat opus: *Fatti e dottrine a proposito di degenerazione e delinquenza.* Rivista Internazionale di Scienze sociali, Roma 1907. Animadvertentum autem est, quod nostra opinio conceptionem repraesentat, quae hodie, tamquam oppositio benefica theoriae Lombrosianae, incipit inter eos praevalere, qui hujusmodi studiis operam navant. Cfr. etiam nostrum opus: *Cesare Lombroso.* Libr. Ed. Fior., 1910.

(2) Cfr. Gemelli, *Il segreto per essere felici. Note sulla educazione del carattere in rapporto ai progressi della psicologia,* Milano, Ghirlanda, Milano, 1908, necnon infra cap. VII.

vero, dum nullus adhibetur ad malum vitandum et bonum faciendum necessarius voluntatis nisus, paullatim in ipsa habituales gignuntur dispositiones, quae vitia vocantur; et in hoc casu habitus operativus malus, seu ad malum morale ex se ordinatus acquiritur.

Quoad vero rem nostram, quando illud, quod inordinate appetitur, est corporis bonum ad speciei conservationem pertinens, habetur luxuria. Docent praeterea philosophi, quod habitus in homine vel *a natura* sunt, vel *acquisiti* ex actuum repetitione.

Quoad habitus, qui *a natura* esse dicuntur, sciendum est, quod non ita istos habet homo a natura, ut in ratione habituum perfecti jam sint eo ipso, quo homo est, sed dicitur homo eos habere a natura *inchoative*, ut loquuntur Scholastici, quia facilitate summa acquiri possunt.

Talis autem doctrina viam sternit ad modum determinandum, quo de luxuriae haereditate loqui possumus.

Et revera, cum vitiosi habitus formatione una simul constituuntur correspectivae quaedam peculiares modificationes somaticae, quarum aliquae sexualium organorum, et aliae systematis nervei propriae sunt.

Istae vero majoris sunt momenti, quam illae; ideoque sunt cognoscendae, etiamsi quae de ipsis scimus mere hypotheses sint.

Modificationes somaticae, ut rite animadvertit doct. Blanc, haereditate trahuntur, ac substratum anatomicum efformant, quo plures homines luxuriae habitum magna facilitate acquirunt, seu a natura inchoative habent hunc lubricum habitum.

Factum autem experientia profecto confirmat. Concludamus igitur, sed non sicut Blanc, admittendo « carnale vitium haereditari quemadmodum haereditatur amentia et alcoolismus » potius vero dicendo, quod peculiares haereditantur dispositiones anatomicae et

physiologicae, ob quas naturaliter proni sumus ad luxuriae vitium faciliter, sed non necessario, acquirendum. Quo sensu subscribere possumus verbis illustris clynici Furbringer: « Sexualis instinctus evolutio essentialiter dependet ab influxu haereditario, a vitae genere et loci temperie ».

Hoc animadverti oportebat contra exaggerationes scholae de psycologia criminali, quae ore magistri sui, Caesaris Lombroso, omnem imputabilitatem adimere praesumit. Adversus igitur hujusmodi scholam conclusionem statuimus, quae in vera scientia psycologica fundatur: quod nempe, ob quasdam dumtaxat peculiares organicas dispositiones, quae frequenter haereditate trahuntur, plures homines vehementer proclives sunt propter sensitivum suum appetitum ad actus eliciendos, qui, objective inspecti, sunt moraliter mali.

Et praescindendo a quaestione de luxuriosi habitus haereditate, quae relationem habet cum praesumpta sexualis appetitus irresistibilitate, sciendum, quod qui studiis et investigationibus sexualis instinctus incubuere, conveniunt admittentes, ipsum — in normalibus conditionibus — nequaquam irresistibilem esse.

Nomina afferam, quae nullatenus possunt esse suspecta: Raffalowich, Moll, Haveloch, Tarchanoff, Herner, Euledburg.

Ipse vero Kraft-Ebing, celebris ille psychiatra, qui inter primos sexualis instinctus anomalias detexit, inquit: « Ingens hominum pars suas refraenare potest passiones.... hominem vero eruditum absolute ac eo magis necesse est, ut ideas efformet stimulum sexualem inhibentes.... Verax amor ille dumtaxat est, qui in moralibus personae amatae dotibus fundatur, et ab ea non gaudia tantum expectat, sed pro ipsa ad dolorem et quodlibet sacrificium ferendum prompto animo est ». Et maxima dein virtute recognita, qua ad bonos mores efformandos religio christiana pollet, subjungit: « Ob pro-

fundam sane cordis humani cognitionem *Catholica Ecclesia sacerdotes suos castitati* (coelibatui) *obstringit*, eo utique fine, ut eos a sensuum dominio liberos efficiat, eosque ita consecret propriae missioni » Hujusmodi testimonium minime suspectum esse potest.

Et doct. Good scribit: « Saepe saepius, ratione mei officii seu professionis, relationes cum misssionariis et sacerdotibus habui, et ex nostris colloquiis mihi certo constat, quod rigida et absoluta votorum castitatis observantia nullum prorsus secum affert inconveniens ».

Iuvenes autem ita alloquitur: « Quod sacerdos, ipsam eamdem habens vestram ac meam constitutionem organicam, exequi per totam vitam potest, ne per annum quidem vos agere poteritis? vos, quos sublevat cogitatio de puritate vestra servanda pro illa cognita vel incognita, quae pro vobis sese illibatam conservat? »

Horum medicorum testimonia ostendunt, quod utique in homine est crassus amor sexualis, et voluptuarius impetus in naturalis stimuli satisfactionem, ita ut homo similis in hoc videatur, et comparetur jumentis insipientibus; sed ulterius etiam manifestant, quod homini possibile omnino est sursum et altius cor elevare, propriisque affectibus dominari, necnon puras nobilesque prosequi ideas, quae in ipso identidem exoriuntur. Homo itaque supra stimulum exclusive sexualem dominium exercere, et ab inexausto religionis et moralis christianae fonte impulsum et vigorem haurire valet ad gaudia et idealitates puriores amplectendas. Hoc praeterea utile lucrum obvenit ex tali certamine pro castitate tuenda, quod voluntatis nempe vires augentur.

In primis igitur velle et fortiter velle oportet. Inferius videbimus, quaenam consilia possit medicus praebere.

§ 5. — Conclusio.

Hucusque vidimus, quid sexualis instinctus sit, quomodo sexuales impulsus oriantur, quaenam sint incontinentiae damna et castitatis commoda. Periculum agnoscere validum sane auxilium est; nihil ergo aliud manet nisi castitatem colere. Et sane religio, boni mores, societas, familia, nostra tandem ipsa valetudo alte conclamant nos castos esse debere. Iamvero ad hoc necessaria voluntas firma, illuminata, tenax, valida, perseverans: sed ex bonorum actuum exercitio penitus constabit, quod paullatim voluntas, difficultatibus primis superatis, miro modo fortior effecta est, et sexuali impulsui resistere facile potest. Maxime vero oportet ne minimum quid concedere. Lubrica quippe patet via: hinc castitatem mentis, cordis, corporisque integre sectari necesse est. Castimoniam absolute eos colere debent, qui matrimonii vinculo non sunt adstricti, quia vel unus lapsus potest plurium malorum effici principium. Castitatem etiam eos servare oportet, qui familiae efformandae se addixerunt; istorum namque vita non modo ad semetipsos sed ad filios quoque pertinet.

Peculiaris autem mentio necessario est facienda pro iis, qui suborienti passioni iam sese dederunt, et eo ipso maiorem experiuntur difficultatem sese abstinendi. Heic ad rem scribit dr. Fonssagrive: « In hac quaestione distinguere oportet *continentiam primitivam*, quam observare facile est, et *continentiam recuperandam*, quam adipisci iterum sane laboriosum est; sed eo minus, quo magis longe ab eo momento receditur, in quo transformatio illa physiologica et moralis effecta est.... Continentia in iis, qui ex una parte auxilium inveniunt in sacrificio voluntario, et ex alia in activitate psychica et intellectuali, facilis profecto est. Civici census, qui absque praeiudiciis componun-

tur, ostendunt, quod in hisce conditionibus continentia est fons virtutis physicae et moralis ».

John G. M. Kendick, physiologiae professor in Universitate Glascowiensi, recte observat: « Oborientis passionis illicita satisfactio non modo culpa mortalis est, sed etiam terribile corporis praejudicium; nova inducta exigentia, si ei obtemperabitur, velut tyrannus fiet, quem culpabilis delectatio fovebit, ac imperiosiorem reddet; quilibet novus actus novum quoque annulum in habitudinis catena validius solidabit. Pluribus insuper deerit vis eam abrumpendi; et impotentes effecti in physicam et intellectualem ruinam ultimo dilabuntur, in servitutem addicti ipsius habitudinis tum ex ignorantia, tum ex malitia frequenter contractae. Tutius praesidium in mentis puritate et in disciplina suipsius integre colenda consistit ».

Iis autem, qui sexualem appetitum invincibilem esse dicunt, paucas lineas legendas exhibemus, quas celeberrimus artis musicae magister, Mozart, conscribebat anno 1871, cum esset aetate annorum 25: « Natura tam alta in me, quam in quolibet alio, voce loquitur; et forte in me maiori vi quam in homine rudi, insulso et vulgari. Nihilominus mihi impossibile est meum agendi modum componere ad instar plurium meae aetatis juvenum. Ex una enim parte sincerum et vividum religionis sensum, nimiam honestatem nimiumque erga proximum amorem habeo, ne creaturam innocentem decipiam. Ex alia vero parte salus nimis praetiosa mihi est, ut illam impuro commercio in discrimen adducam. Coram Deo itaque jurare possum, quod nullam in me usque ad hodiernum diem fragilitatem exprobrandam invenio ».

Utinam nostrae aetatis iuvenibus tantumdem repetere fas esset!

Interest autem attendere, quod a pluribus inter invincibilitatem et difficultatem confusio fit; quod sane

falsissimum est. Nam certamen quidem instat, et rude sane et acerrimum, sed non invincibile. Unde merito Doct. Clood, qui nullatenus ex religiosis considerationibus arguebat, scribit: « Aliquid in hac lucta insumite virium, quae a vobis in incontinentia consumptae fuissent: ita quidem in primis impedimento vobis amplius istae non erunt, et deinceps poteritis eas utilius impendere ».

Huic tandem capitulo finem imponam trium medicorum referens verba. Doct. Féré dicit: « Quoad invincibilitatem sexualis impulsus, ea affirmatur in nomine psychologiae animalium, non vero psychologiae hominis civilis ».

Et dr. Fonssagrive: « Invincibilitatis sexualis doctrina pluribus in casibus falsa est »; auctor evidenter casus perversionis sexualis excludit, de quibus tractandi non est hic locus.

Denique saepius laudatus dr. Blanc: « Omnibus hominibus sanae rationis, rectique cordis invincibilitatis inexistentia nullum dubium relinquit, inhonestis vero, perditisque moribus, vix inutile est loqui de re, quam ipsi ex mentis praeiudicio retinent, et super qua nullam disceptationem admittunt ».

Sanctus Franciscus Salesius, scribit: « Castitas a corde provenit tamquam a sua fonte, sed respicit corpus tamquam suam materiam ». Hinc ad eam servandam et ad stimulos sexuales, necnon praesumptam irresistibilitatem compescendam, devotae Philoteae haec praebebat consilia: « Necessarium igitur est, o Philotea, in tentationibus forti animo esse et numquam se existimare ut victum ». Praesumpta invincibilitas consistit in alliciente voluptate, qua tentationes nobis exhibentur. « Nota sedulo differentiam, quae adest inter sentire et consentire; unusquisque enim potest tentationes sentire etiamsi ei displiceant, at non potest consentire, quin eas ipsi placeant, quoniam complacentia, tamquam gradus ad consensum plerumque inservit ».

Caput Quartum

De incontinentiae prophylaxi (1).

1. *Efficacia auxiliorum medicae artis adversus incontinentiam.* — Praeveniendi et curandi methodus. — Ratio prophylais scite adhibendae. — Activitatis sexualis physiologia et pathologia una cum duplici correspondente prophylactica directione.
2. *De incontinentiae caussarum internarum prophylaxi.* — De caussis internis physiologicis et pathologicis earumque disciplina.
3. *De incontinentiae caussarum externarum prophylaxi.* — Puritatis institutio. — De iuvenum instructione atque institutione. — Religiosi sensus praecipua et necessaria puritatis efficiens caussa. — De conversatione inter iuvenes diversi sexus. — De librorum lectione.
4. *De hygienica prophylaxi.* — *a*) alimenta; alimentaria ratio pro iis, qui castam ducere volunt vitam; — *b*) potiones; — *c*) tabacum; — *d*) corporis activitas, physica institutio, gymnastica medica; — *e*) somnus; — *f*) spiritualis activitas. De casti hominis spirituali hygiene iudiciorumque concordia inter medicinae atque ethices doctores.

Valetne medicus aliquo modo auxiliari, qui contra sexuales stimulos luctantur?

In introductione jam diximus, quod sicut plures quoad remediorum efficaciam, quae suggerit medicus, nimia illusione laborant, ita et alii, iique non pauci, sceptici e contra omnino sunt.

---

(1) Id est, de remediis praeventivis, quae suggeri possunt ad sexuales stimulos compescendos. Sequentibus capitibus videbimus de incontinentiae therapia, id est de remedis ad sexuales stimulos minuendos.

Veritas autem nec his nec illis arridet.

Medicus quippe efficaciter quidem praesto iis esse potest, qui firmum et illuminatum possident castitatem servandi propositum: attamen efficacia haec multos habet limites: atque ad praeventiva remedia potissimum se extendit.

Certum equidem est, medicum per se solum nihil efficere posse; at studium jam praemissum de incontinentiae causis, ostendit, quod plures potest medicus causas arcere tam physiologicas, quam psychologicas, necnon abnormes, ut pycho-physio-pathologicas, quae excitare vel etiam intensificare sexuales stimulos valent. Huc accedit, quod intelligens therapeuta potissimam necnon essentialem boni effectus causam, spiritualia nempe media, nequaquam erit neglecturus: de his tamen, utpote quae ad medicum animarum, i. e. confessarium, spectant, in praesenti non loquimur; eo vel magis quod pretiosissimi quidem de hoc argumento extant libri, ex quibus saepe saepius per vitae decursum salutem spiritualem nos ipsi hausimus, et consolationis lacrimae profluxerunt, ita ut, quae in illis continentur, iterum scribere, ad nos quod attinet, non tantum opus vanum, sed et fatua quoque fore praesumptio videatur.

In iis igitur dumtaxat exponendis sistemus, ad quae constabilienda physiologi, pathologi et therapeutae pervenerunt. Haec autem utilia fore speramus non modo confessariis, qui adeo frequenter de hac re consuluntur, et iis, qui firmam habent voluntatem subdolis tentationum artibus resistendi; sed et medicis quoque, collegis nostris, penes quos pseudo-scientifica praejudicia adeo invaluere, ut novus nequaquam habendus sit casus, quo ex gr. masturbatori vel uranistae, qui medicum adeat consulendi gratia, praescribantur, tamquam efficax medicamentum, venereae delectationes normales.

Quam gravis autem hic sit error sub ratione moralitatis, et quam perniciosus sub respectu physiologico,

inferius videbitur. Sane interim lugendum, quod hujusmodi errores libris diffundantur, qui de hygiene, psychiatria, et, quod pejus est, de populari hygiene pertractant; et ita proferantur, ac si certo tamquam vera constarent ex investigationibus physiologicis ac pathologicis.

Haec igitur studia nostra ad praejudicium valde noxium dissipandum valida futura esse spes non inanis affulget.

Ad incontinentiam igitur superandam prophylactica habentur remedia, quae aeque intendunt, ut de medio causae physiologicae aut pathologicae auferantur, ac intensitas activitatis earum minuatur, atque insuper diriguntur ad caussas tum remotas tum proximas superandas.

Sed quoad studium de incontinentiae prophylaxi gravem distinctionem prae oculis habere necesse est (1). Causae nempe proximae incontinentiae duplicis esse possunt speciei; id est: *Incontinentiae caussae organicae* sive *internae*, et *externae*.

§ 1. — De caussarum internarum prophylaxi.

Uti vidimus, causae organicae duplicis speciei sunt, id est; *physiologicae* et *pathologicae*. Causae organicae physiologicae variae extant pro varietate individuorum; Contra has causas reactio opponitur major vel minor a diversis individuis juxta organicae constitutionis varietatem (2) et praecipue temperamenti nervei, necnon iuxta variam excitabilitatem sexualis centri, haereditatem, et dispositiones quoque spirituales etc.

Compertum quippe est per gradus minimos procedi a statu hyperestesiae sexualis ad veram propriamque

---

(1) Cfr. cap. 3.
(2) Cfr. cap. 3.

anestesiam. Extremi limites statum pathologicum attingunt.

At heic novae abnormes sese exhibent causae, (organicae pathologicae) quarum cognitio et cura exclusive ad medicum spectant. Iam eas designavimus breviterque descripsimus in capite tertio. Haud itaque opportunum esse censeo earum curam indicare ob rationes satis obvias: diagnosis namque de hisce morbosis formis plures et complexas exigit notiones, quas solummodo medicus scire potest. Prae oculis insuper omnium ponere media, quibus hae manifestationes curantur, idem esset, ac periculum parere naturalem illam et excusabilem repugnantiam augendi, quam quisque habet in requirenda et exequenda medici cura. In hisce quippe casibus periculum incurritur erroneam proferendi diagnosim, inopportuna applicandi remedia, et forte etiam augendi — saltem ob diffidentiam, quae exsurgeret — gravitatem morbi curandi.

Prudenter ideo dr. Blanc scribit: « Omnes ii qui noscunt proprium organismum abnormiter agere contra externas voluptatis causas occasionales, et qui propriam voluntatem debilem, et veluti ab ipso organismo devictam, experiuntur, sese considerare *debent* tamquam aegrotos, ideoque sponte subiici *debent* iudicio medici prudentis et summae experientiae, qui suo consilio, aliisque mediis, quae prae manibus habet, ipsos opituletur ad internum superandum certamen, cuius causa hominis vita *militia* appellatur ab Iob: « *militia est vita hominis super terram* ».

Ut breviter has itaque caussas pathologicas exponamus, in primis notabimus, eas *generales* vel *locales* esse.

Generales causae (1) sunt variae *discrasiae*, quae influxum in genitalia organa exercent, quamdam in his majorem, quam norma expostulat, irritabilitatem exci-

(1) Cfr. cap. II, § 2.

tantes: (huiusmodi sunt ex. gr. anemiae); vel sunt infectiones, inter quas potissima tuberculosis; quoniam *toxinae*, quae elaborantur processu tuberculari, excitantem actionem in nerveum systema exercent. Ita quoque inaequilibris sanguinis pressio, perturbationes systematis nervei centralis, praecipue vero quaedam *neuropathicae formae*, uti *isterismus* et *neurastenia*, faciliter medicorum attentionem revocant super abnormem sexualem excitationem. Peculiarem vero heic merentur mentionem affectiones spinalis medullae, in quas vero fere nihil valemus.

Ex localium affectionum cura (1) optimi obtineri possunt effectus; praecipuae vero inter affectiones locales habentur illae organorum genitalium et partium perigenitalium; (ex. gr. meminisse juvat quorumdam parasitorum intestinalium [*oxiuris vermicularis*] qui tam facile sexuales stimulos organicos provocant).

Quoad ceteras causas internas, ut observat Dr. Blanc, media, quibus medica ars uti potest, nihil fere conferunt.

Causas externas igitur nunc considerare oportet.

§ 2. — De caussarnm externarum incontinentiae prophylaxi.

Ita dr. Blanc ad rem apertissime dicit: « Generalis regula, quae continet omnia remedia praeventiva seu prophylaxim sexualis libidinis, in vigilantia reperitur..... ».

Vigilantia quidem adhibeatur in iuvenilibus annis cum primi oboriuntur stimuli, vigilantia in plena horum evolutione, vigilantia in senectute. Constantem simul et alacrem vigilantiam medici, physiologi et hygienistae, quorum oculis veritas patet, eousque commendant. Vigilantia absque dubio maior necessaria est in illa pe-

(1) Cfr. cap. II, § 2.

riodo *critica*, quae incipit pubertatis tempore. Vigilantia praecipue dirigi debet contra stimulos, qui proveniunt a lectionibus, a theatris, ab expositis liberalium artium operibus, a relationibus cum personis diversi sexus. Ista vitae periodus veram repraesentat crysim, ex qua magna pars felicitatis vitae dependet. Sexuales impulsus ab initio indefiniti, qui originem ducunt a novis ex organica evolutione excitatis sensationibus, pedetentim definiti atque intensiores fiunt: lectiones et facta, praecocia nimis hodie ac frequentia, quae in civili consortio obversantur, materiam praebent ad ideas eroticas efformandas; et inde sexualis impulsus ad sui completionem pervenit, et fit gravius periculum.

Audiatur ad rem id quod medicus quidam (Good) docte profert: « In primis (in hac vestrae vitae periodo) vos absolute abducite a lectionibus pravis, sive vobis exhibeantur sub libri forma sive ephemeridis. Si enim falsas quidem sed forte attrahentes legendo descriptiones de iis, quae vobis prohibentur, imaginationem vestram incitabitis, voluntas statim debilior fiet, et vos infallibiliter succumbetis; licentiosa spectacula fugite, et prorsus omnia ignobilia despicite opera, quae sub artis specie quaquaversus exhibentur, etiam per publicas vias ».

John Stuart Black, professor in Edimburgensi universitate, pretiosa haec habet verba: « Quam procul semper et ubique a praecipitio recedite; et agnoscetis non adeo difficile esse non ruere ».

Idemque dr. Good, quidnam sit maximum periculum, indicat: « Consuetudines fugite, in quibus conversationis argumentum nonnisi de feminis habetur, vel de iis, quae ad eas referuntur; et potius quaerite amicos inter eos, qui vestrum iter rectum prosequi cupiunt ».

Tres autem quaestiones valde graves heic subeunt, quae cum his nectuntur: prior est illa de explicatione iu-

venibus proferenda circa vitam sexualem; altera vero de ratione servanda in iuvenum consuetudine cum personis diversi sexus, postrema vero de librorum lectione.

Breviter valde eas tractare contenti erimus, innuentes tantummodo conclusiones, super quibus dissensio non habetur (1).

a). *De iuvenum instructione atque institutione.* — Quoad explicationem iuvenibus tradendam circa generationis phaenomena, sat discordes habentur sententiae. Hisce ultimis temporibus ob influxum praesertim a quibusdam educatoribus Americanis et Angliis exercitum, persuasio invaluit, errorem esse, sub quodam mysterii velamine tegi generationis factum, magisque etiam esse erroneum, illud fabulis adumbrare. Huius sententiae defensores, timore ac sollicitudine affecti ex eo quod praesertim penes magnas urbes corruptio grassatur, et iuventus intempestive vitiis addicitur, demonstrare conati sunt, inter potiores funestae huius conditionis caussas fallacem institutionem, quae pueris traditur, exstare. Sexualia commercia, aiunt isti, ab adolescentibus, qui primum illorum existentiam et fines cognoscere incipiunt, tamquam absolute vitiosa reputantur; et quoniam id, quod prohibitum est, magis allicit, vehementer ad illas voluptates immature experiendas trahuntur. Ad hujusmodi igitur rerum statum adversandum conveniens quidem est, totam rei veritatem adolescentibus quoque aperire, ita ut in matre mulierem illam intueantur, quae plures passa est dolores ad vitam ipsis tribuendam. Institutores isti censent, pudorem esse residuum quoddam atavicum ex religiosis praeiudiciis,

---

(1) Ampliorem tractationem huius quaestionis vide apud Gemelli, *L'educazione sessuale nei rapporti con gl' insegnamenti della fisiologia e della psicologia*, Conferenza alla Societá di S. Antonio M. Zaccaria tra i Medici Cattolici di Milano, 1909.

qui potius quam adolescentes a culpa refraenet, efficit, ut clam et furtive, forte modo etiam abnormi, sed immatura profecto aetate, id, de quo ipsi pericula ignorant et damna, perpetrent.

Melius ergo erit, subjungunt, quod adolescens sexualia commercia noscere assuescat, ad quae peragenda ipse aliquando vocabitur; et si institutor ei pericula damnaque ostendat, quae obveniunt, quando quis immatura aetate vitiosoque modo ad sexuales stimulos se proiicit, adolescens huiusmodi veritate convictus, habebit quantum sufficit, ut castum sit se servaturus, et purum se quamdocumque exhibiturus illi puellae, quae pro ipso castitatem servavit.

Uti patet, huiusmodi libertatis conceptus in adolescente instituendo ultra huiusmodi limites facile extendi potest: et re quidem vera recentius Körnig proponebat, quod a prima quidem aetate pueruli agnoscerent sexuales corporis differentias. Forel etiam ultra progreditur. « Pueri, inquit, cum ad rationis usum pervenerint, de omnibus docendi sunt, ut parati accedant ad gravem sustinendam luctam, quae in pubertatis periodo eis imminet. Ars non debet cognoscere *mendacia conventionalia;* pictor scriptorque ignorare debent reticentias, quae falso pudori debentur ». Hujusmodi vero exagerationes ab ipso quoque communi sensu dannantur.

Altera sententia, e contra, habita potissimum ratione principiorum christianae doctrinae, dicit nefas esse turbare candidam puerorum innocentiam, et exigit, quod in puerorum institutione moralis pudoris facultas alte extollatur et usque ad convenientem aetatem hae creaturae tenellae protegantur.

Ad quaestionem itaque solvendam opportunum est observare, quod, qui sustinent opinionem de praecoci tradenda explicatione, nequaquam inquirunt, utrum huiusmodi medium adhibendum sit tamquam educativum, vel correctivum dumtaxat in casibus, in quibus

primus lapsus, vel grave hujus periculum adolescentem in vitiorum viam jam progredientem effecerint. Evidenter in hoc secundo casu licitum videri potest, quod in primo valde dubium manet.

Sed praecox haec institutio est ne vere necessaria? Estne vere utilis? Ut aexistimaretur necessaria admittendum esset, ignorantiam actuum sexualium in immoralitatis viam prorsus perducere. Sed ad rem merito observat P. Ioseph Franz S. I. quod facta demonstrant, suppositam hanc necessitatem — saltem usque ad certam aetatem — haud exsistere; immo in pubertatis initio sexualis commercii ignorantiam, plus minusve completam, efficaciorem pudoris causam constituere (1). Necessitas tunc tantum habebitur, quum vel aetas major vel imminentia pericula demonstrent, quod iuvenibus sit ostendenda damnorum gravitas, quibus incaute sese exponere possunt. In omni vero casu opus nullatenus erit illius eruditionis anathomicae et physiologicae, quam difensores expositae opinionis expostulant.

Neque sane videtur, quaenam obvenire possit utilitas a praecoci huiusmodi eruditione. Religiosa quippe institutio iam ex se efficacem praeservandi virtutem habet, quin fucatis istis mediis opus sit; quin imo praecox illa eruditio ideas gignit eroticas, quae, sexualibus stimulis incipientibus, ipsam sexualem evolutionem celeriorem efficiunt, et ad novos stimulos excitandos inserviunt.

Huiusmodi igitur eruditio — et in hoc maior pars inter hygienistas convenit — quin iuvet, graviter nocet, quia conscium reddit puerum de quadam potentia, quam ipse adhuc forte feliciter ignorat.

---

(1) Cfr. etiam: F. Damian, *Eine aktuelle Frage,* (Teologisch-prakt. Quartals. Jg, 59, 1907, H. N.; Ernst, *La formation de la chastété,* Paris 1906; F. W. Förster, *Sexualethik und sexualpädagogik*, Kempten 1907 (trad. italiana, Torino 1908); Surbled, *Questions controverses autour du mariage,* Paris 1907.

Neque quis dicat, consuetudinem intuendi tamquam factum normale sexualem actum, filiorumque generationem, efficere, ut hae ideae primo pubertatis tempore minime ad venerem exstimulent: quoniam adolescens hos actus in se inspectos tamquam gravia peccata non reputabit.

Ad hoc enim respondendum, quod, licet adolescens hos actus sexuales tamquam physiologicos consideret, in his tamen semper percipiet quid voluptatis a natura sibi exhibitum; et pro tanto si in ipso ethica principia, et religiosa praesertim, non ita obfirmata erunt, ut virtute eum refraenandi polleant, absoluta fere certitudine retinendum est, quod a venereis pubertatis stimulis, in periculum arduum ejus virtutem adducentibus, prorsus devictus erit (1).

---

(1) Heic referre placet, quae Oppenheim in opere: *La nervosità nei fanciulli* (Milano 1907) perbelle disserit: « Quello che secondo me è lo scopo a cui si deve tendere in questa questione, eccede forse dagli scopi usuali della pedagogia. E cioè io son d'opinione che nell'interesse della salute dei nervi bisognerebbe assolutamente ostacolare il destarsi delle rappresentazioni e delle eccitazioni sessuali quanto piu a lungo è possibile, e cioè almeno fino alla fine del secondo decennio degli educandi. Quindi l'educatore dovrebbe fare in modo che l'adolescente non riceva alcuna impressione e non sia esposto ad alcuna stimolazione, la quale sia in grado di risvegliare la libidine dei sensi. Ma, anche facendo astrazione dalle difficoltá d'indole pratica comportate da questo programma, esso ci affronta tuttavia ad un dilemma. E cioè può venir protetto con sicurezza contro la tendenza alla masturbazione e contro l'infezione sessuale solo colui che già è iniziato; soltanto colui, il quale fu informato in modo completo sulle conseguenze sciagurate di simili procedure, penserà e riuscirà a difendersi. Noi avremmo dunque il dovere di illuminare precocemente tutti i fanciulli e giovanetti a proposito dei pericoli, che son legati al soddisfacimento dell'istinto sessuale. Ma è ben difficile fare degli accenni ad un pericolo senza farne anche all'oggetto donde quel pericolo dipende. I genitori e gli educatori che sono in grado di sorvegliare i loro allievi incessantemente, potranno rimandare di molto il momento delle spiegazioni decisive,

Notandum, vero quod hactenus nos de *praecoci* eruditione sermonem habuimus, quam neque necessariam, neque utilem reputamus. Utilis tamen et quandoque necessaria fiet annorum decursu, externisque periculis auctis: tunc enim necessarium erit iuvenes pericula edocere, eisque damna, quibus incaute sexe exponunt, ostendere ad salutarem incutiendum timorem. Generaliter iuvenes ad illam disciplinam instituendi sunt, quam dr. Fonssagrive: « *puritatis educationem* » appellavit. Penes christianam familiam huiusmodi institutio efficit, ut adolescens reverentiam proprio corpori debitam addiscat.

Quoddam vero aptum et opportuno tempore (quod est iudicandum in singulis casibus, spectata evolutione somatica et intellectuali) dictum verbum sat erit, ut adolescens damna et pericula in eo quod Galli vocant « *ouverture d'esprit* » caveat.

At quisnam talia verba proferre debet et quando? Opportunum momentum deprehendere debent, qui adolescentibus invigilant, in quibus et passiones et sensus

---

e tanto più quanto più gli allievi stessi furono educati ad essere aperti e confidenti e ad amare la verità; infatti tra i fanciulli così educati, allorchè qualcuno di essi abbia soggiaciuto alla seduzione sarà ben difficile, che il mutato contegno di lui non riveli subito ai genitori o al maestro l'accaduta crisi. Ma, accaduta la crisi, anche gli insegnamenti saranno giunti troppo tardi. Tuttavia di solito alla fase di attività dell'istinto sessuale precede uno stadio, che corrisponde alla fase del semplice risveglio, il quale si rivela per ciò, che il giovanetto presenta una timidezza insolita, si dimostra eccitabile, è più chiuso, ha un'insolita tendenza all'arrossire, ecc. Ma questi sintomi non sono nè costanti, nè sicuri. Quindi non è possibile enunciare delle regole generali. Certamente l'ideale sarebbe, che i giovani potessero conservare la loro ingenuità tanto a lungo, per quanto converrebbe ch'eglino restassero sessualmente continenti. Ma non sarebbo lecito per ottener cio porre in pericolo la salute loro: senza dubbio è preferibile che essi vengano istruiti troppo presto a che vengano istruiti troppo tardi ».

extemplo excitantur. Iuxta Chateaubriand « pueri decumbimus et viri expergiscimur cum omnibus passionibus et vitiis natorum ex Cain, vel cum filiorum Abelis virtutibus ».

Huiusmodi itaque officium parentibus incumbit. Fonsagrive scribit: « Talis officii gravitatem potissimam patrem matremque intelligere oportet; neque hoc praetermittere debent, reputantes se ad hoc minime valere ». Parentes igitur huiusmodi munere fungi necesse est; quia nemo patre matreque intimius tenellas filiorum animas scrutari valet.

Quod si difficile negotium certo sit, maximum eis subsidium affert religio: et revera quis uuquam ignorare poterit religiosae institutionis vim ad castitatem excolendam ?

Ecclesia enim in primis puero inspirat quod est initium sapientiae, timorem nempe Dei, qui minimos quidem invigilat actus, et est *scrutator cordium.* Ipsa docet pravas fugiendas occasiones, magnaque fiducia auxilium Altissimi esse exorandum; confessionis ope lapsis veniam concedit, et sacramentorum collatione gratiam ministrat, quae inspirat lumen, et confert necessariam vim ad evitanda peccata.

Gravius equidem fit hujusmodi officium crescentibus annis, quia sensus quidam libertatis in adolescente tunc praepotens exurgit; sed heic quoque religio viam docet tenendam. « Nequaquam opus est, — ait Fonssagrive — ideam adolescentulo ingerere, quod nempe coarctari ejus intendatur libertas, cujus persentit acre desiderium, suamque partem ardenter sibi servatam esse vult; ita enim si fieret, haberetur vehemens irreflexae independentiae motus, qui noxios gigneret effectus ».

Necesse igitur est iuvenem curis circumdare, ipsumque sensim sine sensu et velut a longe dirigere nec solum sibi relinquere; necesse est ei optimos procurare

amicos honestumque convictum, ubi inveniat satisfactas sociabilitatis et amicitiae exigentias, quae sunt in ipso tam vividae.

Sed ad hoc maxime religiosi sensus inserviunt, quoniam illuminant vitam et exhibent pulcritudinem ideae christianae. Adolescens enim imbutus fidei veritatibus quamdam necessitatem experitur vivendi de ipsis et per ipsas, et tunc quivis alius sensus in comparatione ad illum religiosum pallescet; quia hic totum juvenis animum implebit. « Fortunatum, inquit idem auctor, illum, cujus cor et corpus ita constituta sunt in aequilibrio perfecto: quique rite fuit vigilantia circumdatus in hora moralis et physicae cryseos ! »

Is fortis et bene valens erit vir, qui plena sui integritate falsitatem contestabitur illius obscoeni principii: « *Il faut que la jeunesse se passe* ».

Haec sunt fere praecipua lineamenta de « *Institutione puritatis* », quae a christiana religione opponuntur inconsultis illorum propositionibus, qui autumant praecoci eruditione damna impediri posse illius incontinentiae, cujus vera essendi ratio in defectu vel insufficientia habetur religiosi sensus, qui solus vim habet castitatem in homine non modo corporis, sed mentis quoque et cordis gignendi.

b) *De commercio inter iuvenes diversi sexus.* — Quaestioni jam nunc pertractatae intime connectitur altera aeque gravissima; illa nempe de commercio cum personis diversi sexus. Circa hoc quoque argumentum non desunt opiniones, quae — paradoxis innixae — media prorsus rejicienda proponunt.

Et revera, jam vidimus, quomodo nonnulli medici putent ad sexuales impulsus sedandos melius extra matrimonium medium non dari, quam sexualis commercii moderatum usum. At nos intelligere nunquam potuimus rationes, quae doctores istos ad hanc curae ludicram

methodum valuerunt adducere. Evidens namque est, quod si alicui praepotenter sentienti desiderium alcoholicas potiones sumendi, alcohol propinetur — licet caute atque moderate — profecto desiderium illud excitabitur et augebitur. — In hoc physiologi omnes et pathologi aeque conveniunt.

Quaenam igitur est ratio, ob quam diverso modo judicandum erit relate ad sexuales actus? Licet omni ex parte conquisiverimus, fatemur nunquam rationem nos invenisse, quam referre pretium operis sit. — Dicam potius cum Dr. Blanc: « Ad huiusmodi remedia commendanda haud sufficiens est falsas ideas habere de praesumptis damnis ex continentia sequentibus, sed necesse est religionis fraenum omnino abrupisse atque a catholica religione defecisse ». Nos vero nonnisi improbare et spernere possumus has hypocritarum doctrinas, quae favent, quod apparenter impugnant. Neque haud minus severitatem sapiunt verba Dr. Fonssagrive: « Extra matrimonium sexuales contactus nequeunt rationabiliter consuli, quia praecise opponuntur fini, quem quis sibi proponit; favent enim augmento libidinosi impulsus, cui dominari difficile fit; et damnis valde dubiis, quae privationi tribuuntur, illa gravia et certa, quae abusus gignit, succederent; prorsus falsum est, sexuales contactus aphrodisiam curare, imo eam producere possunt: unde constituunt medium in se noxium, neque consuli debent a medico, qui ministerii sui munus revereatur, et scientiam integram habeat de eo, quod agendum est in aphrodisiae casu » (1).

---

(1) Omnino ad rem observandum est, huiusmodi ideas artis medicae professores hodie paullatim amplecti; et revera plus minusve dilucide illas exposuerunt Gerhardt, Hegar, Moebius, Flesch, Oppenheim, quorum ultimus acre a Moebius iudicium expressum ita refert: « Si adsunt medici qui de iuvenilibus morbis subridentes loquuntur, immo iuvenes ad meretrices adeundas incitant, hi peste perniciosores dicendi sunt ». Et ipse mox addit: « Haud

Sed peculiarem considerationem masturbatores merentur. — Theologi enim aliqui et nonnulli medici tamquam unum ex remediis adhibendis — in gravioribus casibus — matrimonium assignant, si necessariae tamen adsint conditiones.

Huiusmodi vero remedium quamvis haud certe reprobandum, sicuti reprobandum est medicorum consilium, quo docent sexuali commercio vincendam esse masturbationem et generatim omnes sexuales perturbationes; attamen istud etiam haud parvi momenti incommoda praesefert.

Si enim agatur de masturbatore, in quo vitium non adeo altas radices egit, facile erit — opportunis mediis — pravum divellere habitum, et tunc peroptime matrimonium contrahi potest; at pervicaces masturbatores fere prorsus frigidi erga feminam sunt; prava enim eorum voluptas ita eos potenter inficit, ut vel nullam sexualem satisfactionem experiantur extra illa media artificialia et mechanica, quorum habitum contraxerunt. — Voluptati quippe semper inhiantes, necessarios stimulos penes memoriam, phantasiam, sociales convictus undique exquirunt, atque ideo in se veluti clausi sibimetipsis satisfactionem propriae passionis expostulant.

Infelicissimos siquidem homines cognovimus, qui — etiam matura iam aetate — saepius in die conscientiam rebellem sentiebant contra grave turpitudinum jugum; sibi, medico, confessario se restituros promittebant, et nihilominus saepius pariter in die ob influxum caussarum externarum, levisque etiam momenti, vitio cede-

---

pauci exstant adolescentes qui *neurologos* medicos consilii exquirendi causa accedunt, putantes eos de sexualis commercii libertate suasuros, tamquam medium *neurosin* curandi. Medicus vero, cui abunde constat adeo frequentes esse syphilidis morbos, eorumque consecutiones, et mansturbationis atque sexualium depravationum damna, praedictas normas sequi tenetur, licet sub ethica ratione contrarium quoque fieri posse opinetur ».

bant. Sexualis impulsus in hisce casibus adeo praepotens erat, ut huic resistere intensitatem augere videretur usque ad determinandum verum incitationis statum morbosum. Iamvero infelices isti ignorant, quid sit feminam amare, et frequentissime functionali impotentia laborant. Non videtur igitur adeo prudens consilium esse, masturbatoribus tamquam remedium matrimonium suggerere: huiusmodi enim vinculo duo infelices creantur. Et revera inter casus de nullitate matrimonii, super quibus tribunalia sententiam proferre coguntur ratione impotentiae functionalis seu impotentiae, quae ab anatomico vitio nullatenus pendet, et a medicinae legalis doctoribus anaphrodisia psychica appellatur, numeriosiores habentur ex impotentia functionali masturbationis.

Iamvero hisce in casibus quisman matrimonium consulet? Item dicatur relate ad perversiones sexuales; quibus curandis licet psychiatrae fere concordent in eo, quod conveniens sit consulere sexuales amplexus, eorum tamen nemo consulere audet matrimonium. Sed nos neque illos sexuales amplexus admittimus: nam a legibus sanae ethices approbari nequeunt. Sed et insuper, ut in medicorum provincia maneamus, observandum est, quod si uranista — exempli gratia — sexualem actum explere valet, sexualis excitatio normali modo haud fit, sed ex eo provenit, quod iste excitationem provocat phantasmatibus, recordationibus, etc., quae omnia ad sphaeram turpis habitudinis ab ipso contractae pertinent. Huiusmodi igitur artificio uranista sanari nequit, nec assuefieri potest ad sexualis stimuli normalem satisfactionem explendam; immo ipse suis turpitudinibus novam inveniet fomitis materiam. Quod si neque modo praedicto sexualem actum perficere valebit, brevi fiducia deiectus, ad sua turpia redibit. Huiusmodi facta demonstrant, quomodo sexualia commercia cum personis diversi sexus, quae catholicorum quoque medicorum libri consiliant, nequaquam immunia sint a periculis.

In primis itaque a pravis liberari passionibus (1) necesse est; et quoad matrimonium, sciendum, quod spectari nequit tamquam curae methodus; sed institutio divina est, nobiliores habens fines, quos subordinare inferioris ordinis considerationibus haud licet (2).

Niemeyer vero et novissime Körnig et Forel ad incontinentiam debellandam proposuerunt tamquam medium promiscuitatem sexuum fovendam a primis annis et in quavis occupatione. Körnig insuper pueros assuefacere vellet a teneriori jam aetate ad cognitionem partium sexualium puellarum, et e converso. Imo Forel proponit, quod non solum permittantur, sed excitentur relationes amatoriae inter pueros. Venturi putat « amorem inter duos » (amorem, ut aiunt, platonicum; *flirt*) optimum esse remedium ad perversiones sexuales impediendas, quia amor iste stadium est evolutionis in amore viri, et qua talis eum a masturbatione liberat, (quae, uti vidimus, iuxta huius auctoris mentem, factum physiologicum extat in pueritia et in pubertate) eumque disponit ad ulteriorem evolutionis gradum, hoc est, ad matrimonium. Donner autem commendat, ut facilior, quantum possibile est, amicitia reddatur; et Tarnowski putat, educationem et socialem convictum influxum gravissimum exercere in normalem evolutionem sensus genitalis, et vult pueros familiariter conversari cum puellis. Furbringer — uti refert Blanc — sequitur Moll et Graft-Ebing (iuxta quorum opinionem sexualis instinctus necessario exstimulat puerum ad experiendos actus sexuales, ita ut cum puellis copulari desideret) et reputat amorem platonicum haud valere ad efficaciter oppugnandum in pueris desiderium venereae voluptatis, quod ipse spontaneum in eis exstare censet.

---

(1) Vide infr. cap. VII.

(2) Ne quis tamen haec perperam intelligat, quasi matrimonii finis non sit etiam concupiscentiae remedium, ut docet Apost. (1 Cor. VII. 2).

Amor iste platonicus (*flirt*, uti aiunt), a medicis et a psychiatris propositus, penes nordicas regiones favore exceptus est: ab earum enim regionum institutoribus, iuvenes educare longe a personis diversi sexus idem esse putatur ac eos imparatos fingere ad illam vitae periodum, in qua necessario cum iis personis consuetudo futura erit, et ita passiones tunc adeo violenter irrumpent, ut ad lapsus certissime inducant.

At si primo aspectu videtur, liberiorem institutionem iuvenes aptiori modo ad futura sexualis vitae pericula validos reddere posse, re maturius perpensa, appareret, quod argumentum, super quo huiusmodi conclusio stabilitur, inanem dumtaxat speciem praesefert. Et re quidem vera — sepositis iis mediis, quae a Körnig, Forel aliisque proponuntur, nam adversus ea non modo moralis sensus pudorque insurgit, sed commune hominum iudicium — potius perpendenda sunt, quae de sexuum promiscuitate, de amore illo platonico (*flirt*) et de amore inter *duos* proponuntur, Blanc igitur de isto platonico amore ita ad rem dicit: « Ad quid tandem reducitur nordicus iste usus, anglorum proprius? — Iuvenis puellaque in abscondito quodam loco secedunt, ita vero ut nec clausi omnino maneant, nec adeo ab aliis videantur, sed a ceteris, inter se eiusdem negotii caussa convenientibus, penitus separati consistant. Iamvero isti erotica quadam otiantur voluptate, et omnia sibi vel audaciora permittunt, quae, loci attenta natura, possibilia sunt: supremis, uti dicam, favoribus tantum exclusis. Haud infitiabimur penes nordicas regiones tale hominum genus forte exsistere, qui possint sese invicem deosculari et amplecti, quin motus in generationis organa insurgant; apud nos certo hujusmodi mediis passiones vehementer augescunt ».

Istorum verborum auctor est medicae scientiae doctor aeque ac alterius sententiae de amore platonico (*flirt*) propugnatores; sed, ut candide dicamus,

haec non medicorum, bene vero scientiae ethices doctorum quaestio est; qui unanimiter docent, liberam consuetudinem inter personas diversi sexus valde periculosam exstare, et, ut plurimum, gravis peccati naturam induere (S. Alphonsus, 417).

Concludentes igitur, dicimus, talem consuetudinem a sana incontinentiae prophylaxi longe abesse; istamque potius consistere in occasionum fuga, quae sexualem appetitum, in nobis consopitum, excitare valent, quibus remotis, haud difficile erit a praecipitio se innoxium servare.

c) De librorum lectione. — A scriptoribus nonnullis proposita fuit, tamquam praeventivum remedium, lectio librorum, qui vivide veluti pingant incontinentiae damna. Debreyne hanc methodum extollit tamquam efficaciorem ad masturbationem curandam. Inter huius generis libros habetur ille a Tissot conscriptus (*De l'onanisme*) et alter a Doussain-Debreuil *(Dangers de l'onanisme*). Nos vero haud efficax istud medium reputamus; huiusmodi enim populares libri nimiam vivacitatem et verismum, ut ita dicam, sapiunt; ut plurimum, etiam, praesertim ille qui auctorem habet Tissot, ad particularia descendunt, et descriptionibus anatomicis et physiologicis abundant; quae omnia in eos iam proclives ad sexuales obsecundandos impulsus, effectum longe diversum ab eo, quem auctor sibi proposuit, exercent.

Lectiones istae revera labendi potius occasionem praebent; hocque iis praesertim, qui inquirunt motiva ad venereum sensum excitandum; et ad hoc aptas adinveniunt huiusmodi descriptiones.

Ad rem plurima afferre possumus facta; sed tantum singularem quemdam casum heic adducere contenti erimus. Servus quidam carcere ob furtum detinebatur; et quum masturbator obstinatus esset, sufficientem ma-

teriem pravis suis delectationibus inveniebat lectione cujusdam libri de *siphylographia* tractantis, cuius tamen ne verbum quidem forte intelligebat.

Praeterea medicinae legalis cultores plures casus impotentiae functionalis demonstrant, qui repeti debent a gravi recepta impressione ex lectione librorum istius generis. Casper, Mashka. Filomusi-Guelfi aliique huiusmodi casus collegerunt; et sub hac ratione supradictum opus, a Tissot conscriptum, tristem habet famam. Si librorum lectio in quibusdam casibus consuli liceat, heic subnotata opera utilia erunt: 1° Doussain-Debreuil *(Dangers de l'onanisme)*; 2° Debreyne *(La théologie morale)*; 4° Good *(Igiene e moralità)* (1). Ribling *(L'hygiéne sexuelle et ses consequences)*. Quod si agatur de adultis iuvenibus *qui lapsi sunt*, « *Venus dolorosa* » a doctore A. Bellini conscripta, eis legenda proponatur. — Huiusmodi enim libri, cum ab exaggeratione refugiant, facta tantum exhibent, quibus ostenditur, quantum turpia corpori noceant.

§ 3. — De prophylaxi hygienica.

Inter remedia, quae a medico suggeri possunt, hygienica validiora sunt.

Sexualis instinctus, utpote variabilis, influxum temperaturae, coeli, loci et socialis convictus maxime patitur; rationabilis igitur prophylaxis eo tendit, ut e medio auferantur caussae omnes illae directae vel indirectae, quae in damnum vergere possunt. Nonnulla hygienica media inclinationi temperandae diriguntur, quae ad sexuales stimulos explendos regulam excedit, quaeque idcirco est vitiosa. At de his loquemur agentes

(1) Cf. bibliographicas notas in voluminis initio necnon in appendice.

de incontinentiae therapeutica (cap. 5). Videamus potius nunc aliquid de mediis ad praeveniendum ordinatis, et de iis, quae ad conditiones organicas moderandas diriguntur ita, ut normalis status ope hygienicae prophylaxis servari queat. Ipsa respiciunt alimenta, hygienem tubi gastro-enterici, potiones, tabacum, activitatem corporis, activitatem animae.

a) *Alimenta:* « Quotidie morior » ait s. Paulus — sed « hoc parum est, addebat dr. Gouraud fel. rec. — parum est — inquam — sensu anatomico ». Revera vita quotidie et singulis momentis a nobis fere recedit, quia usura cellularum viventium, quae nostrum organismum constituunt, est effectus organicarum activitatum, quae in ipsis cellulis disponuntur.

Alimenti autem verus finis est organismo novas praebere vires, novamque materiem suppeditare, quae ob augmentum et instaurationem textorum exigitur. Hinc fit, quod organismus continuo cogitur novam cellulis praebere materiem, in quibus, processus assimilationis et disassimilationis evolvuntur: quorum effectus sunt energiae explicatio, (energiam, inquam, muscularem, nerveam, etc.) et scissio quaedam substantiarum, quae jam adhibitae variis modis diversimode expelluntur. Ideoque tubus gastro-entericus est velut canalis, per quem alimentariae vel restaurantes substantiae introducuntur, atque elaborantur, ut, exinde, ope circuli lymphatici et sanguinei, in singulas distribuantur cellulas: ipse vero, ope eiusdem circulatonis sanguineae, exterius expellit, quod ex disassimilatione productum fuerat. — Sic ergo cellularum usura, physiologica organorum functio, lucta adversus agentia externa, relationum vitalium manifestationes organismum machinae similem reddunt, atque sicuti machina quaelibet, uti opus perficiat, eget materia ad comburendum apta, ita recensitae functiones cibum necessario exquirunt.

At heic duplex distinguitur alimentaria ratio: una quae ad reparationem, altera quae ad laborem exigitur.

Prior substantiae summam rapraesentat qua homo uti debet spatio 24 horarum ad aequilibrium restituendum inter detrimenta, quae continuo subeunt cellulae viventes, atque elementa quae reparationi inserviunt. Altera exhibet elementorum summam, quae eodem spatio 24 horarum ab homine absorberi debent ad vires recuperandas, labore deperditas.

Haec vero elementorum summa variatur pro qualitate et quantitate laboris insumpti; cui tamen exacte respondere debet. Hac ratione inter acceptum (alimenta) et expensum (energias et materiem deperditam) verum libramentum constituitur; et sapiens hygienis eo tendit, ut limites statuantur, quos necesse est observari, inter introitum ipsum et expensas ad aequilibrum hoc moderandum.

At haec haud scientificae inductionis dumtaxat conclusio est; nam, uti scimus, temperantia est virtus, per quam homo in seipso rerum sensibilium usum rationis imperio moderatur; temperantia, scilicet, non omnem sensibilium usum vetat, sed tantummodo eorum, quae rationi opponuntur. — In omni casu, in quo sive nos abstinere, sive re sensibili uti debeamus, quae conservationi individui vel speciei necessaria sit, ratio nostro appetitui supremam praescribere debet legem, quae, Dei nomine, relationes moderatur inter animam nostram et sensibiles res. Sensibilia ista siquidem, cuiusmodi sunt cibus potusque, ad vitae necessaria ordinantur; at nos iis uti tantum debemus, quantum leges divinae providentiae exigunt.

Omne vero id, quod tale abrumpit aequilibrium, statim fit manifestum; atque ideo si expensae introitum exsuperant, habetur « *deficit* », quod apparet ex corporis macie; quoniam hoc in casu organismus vivit

expensis suae substantiae. Cum macie autem habetur depauperatio sanguinis, qui uberem valetudinem corpori affert; habetur etiam energiae imminutio, et hinc minor activitas intellectualis, nervea, muscularis, etc., maiorque labiditas textorum, et simul maior capacitas ad contagia. Si vero e contra habetur alimentorum ingestio plus quam par est, cito graves sequuntur physiologicae perturbationes, quae per varias manifestantur morbosas formas, cuiusmodi sunt: *articularius morbus* (*gotta, podagra*), *obesitas*, etc.

Recta administratio non modo providere debet quantitati rei acquirendae, sed etiam qualitati, id est: ita moderare debet dati et accepti rationem ut hydrocarbura (ex. gr. panis, farinacea) et azotata alimenta (ex. gr. carnes) physiologicae exigentiae respondeant.

Insuper recentiora studia — paucis ab hinc annis peracta a quibusdam physiologis (praesertim a Pawlow), — demonstrarunt influentiam sensationum et repraesentationum imaginativae potentiae in glandularum secretiones, quae elaborandis elementis iisque assimilandis inserviunt, (cuiusmodi sunt glandulae hepatis, pancreas, stomachi, intestini, etc.); demonstrarunt praeterea harum glandularum secretionem variis ciborum generibus attemperari, idque ope nervei systematis. Hinc rationalem hygienem etiam ciborum selectioni, modoque eos sapidos reddendi (coctioni, condimentis etc.) providere oportet, ita ut normalis glandularum functio perficiatur.

Recentiores adhuc investigationes a Stirling inchoatae demonstrarunt, operationum seriem, quae ad digestionem, elaborationem, et assimilationem alimentorum pertinent, complicationem exibere communi opinione maiorem; functio enim glandularum, quae tubo gastro-enterico nectuntur, (hepar, pancreas, etc.) cum elaboratione quarumdam peculiarium substantiarum

(*secretine, zimasi,* etc.) colligatur. Iamvero haec iterum, iterumque demonstrant, praesertim ob recentiora studia viri americani Walter Cannon, nutritionem peculiaribus ordinatisque legibus moderandam esse, videlicet, rationabiliter contemperanda esse in diaeta elementa azotata (carnes) cum alimentis hydrocarbonatis seu hydrocarburis (ex. gr., farinaceis).

Quae si negligantur, subito generantur nonnullae speciales substantiae, quae tamquam venena (*toxinae*) in organismum agunt. Quoniam vero huiusmodi substantiae in nerveum systema praecipue influunt, postea videbimus, quanti momenti sit earum productionem impedire relate etiam ad hygienem sexualis vitae.

Elementariae istae notiones eo ducunt, ut concludamus de hygienis exigentia esse, quod homo per alimentorum usum assequatur et servet perfectum aequilibrium, quod si abrumpatur, *solvendum est de proprio*, et hoc, sensu physiologico, significat organismum depauperare, illumque magis dispositum ad contagia reddere. Ex quo eruitur ethices et hygienis leges in nostrum bonum conspirare; ex his enim ostenditur, temperantiae virtutem, scientiae lumine irradiatam, aequilibrium praestare, utpote quae difficili oeconomi munere quodammodo fungitur, nos invitando ad vocem audiendam satietatis, seu illius sensus neminem unquam falfentis, qui quadam ratione veluti excubia adstat, nos de proximo admonens periculo.

In notionibus hisce elementaribus tradendis quadamtenus prolixi exstitimus, quoniam eas ad agnoscendum influxum alimenti in sexualem vitam necessarias esse reputamus. Aetate sane hac nostra edendi ignoratur ratio; vel nimis enim vel male vescimur; plures quippe societatis classes carnibus vel azotatis dapibus abutuntur, quae divitum oneerant mensas. Insuper in quibusdam diei horis labor assidus effecit, ut normales

convivii horae immutarentur, proindeque prandium sero fieret, et modica refectio, saepe insufficiens, nimis celeriter sumeretur, pluribus urgentibus negotiis. Quae agendi ratio gravem equidem perturbationem inducit, eoque graviorem, si attendatur ad nostrarum regionum temperiem, quae in nonnullis anni tempestatibus haud patitur illud edendi systema, more britannorum; quod tamen a pluribus optimum reputatur, quia insolitum. At quam gravia exinde sequantur inconvenientia patet; abundans enim habetur in intestinis veneficae substantiae productio (*toxinae*), ciborum congestio, et capitis dolores. — Hinc gignuntur morbi gastrici, qui in vitam intellectualem influunt, tensio stomachi, et nimia productio acidorum, in omnia agentium organa. Fatalis vero effectus tam vitiosae huius hygienis nevrasthenia extat. Intemperantia triumphat! Et quid mirum, si ex omnibus hisce exitialis determinetur in sexualem vitam influxus? Intestinorum quippe toxinae in nervea centra, incitando, agunt; ideoque genitale centrum etiam incitabitur.

Ex mala digestione sistunt cibi, et deficit appetitus; tunc vero coquus, arte sua, appetitum titillabit sapidis exquisitisque condituris, quae virtutem aphrodisiacam plus minusve continent. Quibus de caussis vitiosum circulum habebimus, quem abrumpere necesse est, si in animalem hominem dominari velimus, quemque nos dormientem alimento excitavimus.

Quod si tristis haec quarumdam societatis classium conditio manet, haud felicior est illa eorum, qui paupertate ad alimentum, ratione qualitatis insufficiens, interdum adiguntur, et etiam maxime noxium, ratione abundantis elementi hydrocarbonati, quod continet (v. g., panis, faseoli, polenta, et farinacea quaevis).

Medicis quidem constat, oeconomicam paupertatem relationem intiman habere cum paupertate organica. Viri enim, quibus sufficiens energiae vis ad laboris

opera deficit, et in alcoholico potu conantur invenire remedium, cloroticae puellae, anemicae matres, lymphatici adolescentes, omnes hi parum de intellectuali vita habent, quae primum physiologicae paupertatis effectus persentit; unde mirum non est, si in hisce conditionibus passiones vehementius in debilem organismum impetunt.

Sed peculiarem merentur considerationem qui *vegetariani* dicuntur. Hi enim reputarunt quaestionem solvere minuendo vel supprimendo carnium usum. Physiologicae notiones, superius expositae, *vegetarianismum* sane intellectum, et quibusdam finibus circumscriptum, utilem certo esse demonstrant; absurdum vero, si modo absoluto vel simpliciter praevalenti adhibeatur: nam tunc in neurosim, praecipue vero in neurastheniam induceret, quae semper profundum in sexualem vitam influxum exercet.

Breves istae pathologicae de tubo gastro-enterico notiones ostendunt, quaenam esse debeant regulae tenendae ab iis, qui continentes esse cupiunt, et ad hoc assequendum efficacia inquirunt media. At, impossibile est, ut animadvertit doct. Blanc, universalem assignare regulam, quae omnibus casibus accommodari queat. Si agatur de personis valetudine praestantibus, aliquatenus *plethoricis* (quae in quibusdam potioribus visceribus, vel in nerveis centris congestiones pati solent), optimum erit, ipsos uti sobrio et vegetali cibo; hinc excludendae erunt, vel saltem juxta casus modice adhibendae carnes rubrae, sale conditae, venatione captatae, vel asservatae, salsi pisces, varioque modo servati; prohibitae pariter erunt excitantes conditurae (tubera, aromata, fungi, veteres casei). E contra adhibendae erunt albae carnes, lac, ova, albi pisces, legumina, fructus, casei, faeculae vegetales: at sapida quidem condimenta, et acres conditurae minime: ita etiam vitanda erunt generosa vina et aromatica, albis adhibitis

non multum alcoholicis. — Haec a Fonssagrive diaeta anaphrodisiaca appellatur.

At si agatur de debilibus vel variis ex causis debilitatis, quantitas azotata cibi augenda erit, postquam, medici ope, prudenti atque opportuna cura conditiones tubi gastro-enterici in melius perductae fuerint: tunc generosa praebeantur vina, et conditurae appetitum exstimulantes adhibeantur; curandum est enim ut figuratis elementis *(globuli rubrî* seu *haematiae)* sanguis ditetur, et texturae reducantur ad normales nutritionis conditiones (1).

Si agatur vero de individuis normalibus, praedicta nutritionis agendi ratio variari poterit, ita tamen quod semper vegetales cibi praevaleant, atque excitantes (qui ex hactenus enumeratis jam constant) evitentur. Meminerint namque ii, qui efficaciter continentes esse desiderant, rite sane intelligenda ipsius Proust dicta. « Haud sufficit exorare Deum, sicuti christiani omnes faciunt, ut ne nos in tentationem inducat, sed oportet, ne nos ipsi in eam nosmetipsos inducamus: atque aetate nostra, in qua, scientiae ope, datum est aperte cognoscere id, quod nostris atavis absconditum de humano organismo erat, ignoscendum minime esset, si scientiae notiones despicerentur. Carnium abusus, praeter functionales perturbationes, *mentalis alienationis* statum vere producit, quem parentes atque iuventutis institutores metuere, quantum satis est, nondum didicerunt ».

Clinicus gallus, Landouzy, fama clarus, affirmat, quod hodie non solum nimis comeditur atque bibitur; sed, quod pluris est, nesciunt homines edere, nec cibos seligere.

Et doct. Gouraud ait: « Quoniam scientifice certum est, nos arteriarum nostrarum aetatem habere;

---

(1) Hujusmodi praescriptiones suppeditantur secundum doctrinas Leyden, Huchard, Proust, Blanc, Fonssagrive, etc.

(alludit ad toxinas intestinales, arteriosclerosim intra sanguinis vasa determinantes, quae certo ad cardiacos morbos, ad cerebri mollitiem vel cerebri emorragiam tandem adducit); nonne scite factum erit, si a nostro vitae regimine toxica expellantur elementa, quae praecocem senectutem in nobis parant, et ad arteriarum abruptionem nos disponunt? In ipso temperantiae argumento mira inest concordia inter virum religiosum, Ecclesiae obtemperantem, carnisque cupiditates refraenantem, et virum scientiae deditum, suas arterias a degeneratione liberandas unice curantem ».

Hoc est scientiae verbum ; quicumque igitur puritatem desiderat, quum intimus insit nexus inter alimentationem et sexualem vitam, noscit quid agendum.

Sed operae pretium est quaedam de jejunio etiam addere. Ecclesia quavis aetate sapienter intellexit, quantum temperantiae virtus habeat valoris; et hinc factum est, ut sapientes ordinum monasticorum fundatores sobrietatis regulas constituerint, quibus quidquid superflui est auferretur, sed nulla haberetur praeoccupatio quoad id, quod est necessarium. In hisce itaque sobrietatis regulis omnia, quae respiciunt habitudinem inter animam atque sensibiles res ita Dei nomine moderantur, ut istarum usus solummodo ea mensura permittatur, quae ad regulares vitae functiones exigitur.

« Quadragesimae observantia — ait doctor Gouraud — iuxta odiernas praescriptiones, et abstinentia a carnibus in nonnullis anni diebus, eumdem respiciunt finem, licet minori rigore, quem regulae de sobrietate monasticae intendunt.

Sed haec praxis minores habet hodie adversarios, quoniam Huchard demonstravit, nimiam toxinarum quantitatem, quae a carnis alimento producuntur ob earum vim deletricem, novem ex decem cordis infirmi-

tatibus gignere, et fontem esse venenatum arterioscleroseos, quae tam fatalis evadit helluonibus atque senibus ».

Sub scientiae igitur medicae ratione si affirmare possumus organismo bene valenti et normali ecclesiasticum ieiunium utile (1) esse, asserere quoque licet, ipsum puritati vitae plurimum favere; quoniam eius ope faciliter anaphro-disiaca diaeta obtineri potest.

In illis casibus vero, in quibus organica compensatio parum activitatis habet, caute se gerat medicus, recolens, quod tunc frequenter sexualis erethismus comes adiungitur, ideoque jejunium maiorem determinabit inritationem nervei systematis. In quovis igitur casu ubi dubium habeatur de opportunitate jejunii, optimum erit haud proprio fidere iudicio, quod, ut plurimum, super erroneis de hygiene criteriis fundatur, vel super praeiudiciis vulgaribus, valde admodum diffusis et radicatis; sed potius intelligens et catholicus medicus consulatur (2).

b) *De hygiene tubi gastro-enterici.* — Praecipua attentio adhibenda est circa peculiares quasdam tubi gastro-enterici conditiones, seu circa ventris evacuationes atque haemorrhoides.

Et revera, si in extrema intestini recti parte, variis de causis, excrementa constipantur, eoque magis, si ob varias morbosas segmentorum conditiones intestinalis tubi, vel glandularum, quae adnexae prostant, haemorrhoides gignuntur, status quidam hyperemicus in perineali et genitali regione succedit, qui augmentum sexualis stimuli producit; cuius rei caussa ex eo repe-

---

(1) Observandum tamen est, *re medice inspecta,* nimium frequens jejunium haud consulendum esse, maximaque cautela permittendum.

(2) Cfr. Gemelli, *Del digiuno quaresimale,* (*Scuola Cattolica,* Milano 1906).

tenda est, quod nervei rami, quibus genitalis sphaera instructa exstat, innectuntur cum iis, qui in regione anali inveniuntur. Hinc opportunum erit vitare excrementorum constipationem in recto, curando, ut ventris evacuationes normaliter habeantur, medicique illico opem petendo ad haemorrhoides extinguendas.

Quoad evacuationes, praeterea, cum defaecatio difficilis evadit, augmentum vegetalis cibi consulendum est; ita quoque optimum erit abdomen confricare (vulgo: *fare il massaggio — massage*) ante decubitum, atque a cibo potuque inritanti — ut supra exposuimus, — abstinere. Cavendum est autem ab illa consuetudine, hodie valde diffûsa (quia facilius unusquisque potest sibi eas comparare), sumendi nempe species illas medicamentarias (vulgo *specialità*), idest catapotia vel pillulas, quibus presertim mulieres uti solent; ista enim drasticis — ut aiunt, — substantiis, extremam recti partem inritantibus, constant, ideoque irregulari defaecationi similis habetur effectus. Interdum motus utiliter supplere potest purgativam potionem, quae certo intestinum crassum inritaret.

c) *Potiones.* — Haud vero minor est potionum, quam ciborum, influxus in sexualem vitam; peculiarem vero mentionem merentur illae, quae fervidae sunt (alchool), quaeque, si moderate adhibeantur, aphrodisiacae tantum evadunt, si vero immoderate, gravissima insuper organismo afferunt damna.

Regionibus in nostris vinum aqua dilutum, languidumve sumendum est. « At mementote, ait doct. Good, adolescentibus loquens, mementote, dum tempus adhuc habetis, pro iuvenibus brevem intercedere gradum inter arabicam potionem (vulgo *caffè*), vel cauponam, et lupanaria; huncque cito fieri posse ».

Cerevisia autem, (h. e. *birra*) ob tenue elementum alcoholicum, quod continet, haud est noxia; immo, cum lupulum contineat, et iste (uti videbimus, cum de me-

dicamentis sermo erit) virtutem anaphrodisiacam habeat, consulenda esset: at, uti ad rem observat doct. Blanc y Benet, iuxta Nothnagel et Rossbach, in ea, ob adulterationes, ut plurimum habetur fervidum amilicum elementum (vulgo: *alcool amilico*) quod maxime veneficum est, et vim habet quindecim tantis majorem, quam alterum itidem fervidum etilicum elementum (vulgo: *alcool etilico*); ideoque cerevisia minime est commendanda.

Iuxta quosdam doctores, inter quos Fonssagrive et Soulier, potiones ex *thè* et ex arabibus fabulis (*caffè*) confectae, cum virtutem quamdam anaphrodisiacam contineant, si moderate adhibeantur, consuli possunt. Immo, Willis, Simon, Murray, Trousseau, docent nullam adesse substantiam, quae illis efficaciorem virtutem anaphrodisiacam possideat; idem alii auctores dicunt de potione, quae ex mexicana faba (vulgo *cioccolato*) paratur. Probabiliter harum proprietatum causa ex eo repetenda est, quod caffeina, theina, et theobromina, quae illarum substantiarum activa extant principia, virtutem vaso-constrictivam habent. A nonnullis autem auctoribus iste anaprodisiacus effectus actioni tribuitur, quam huiusmodi substantiae in spinalem medullam exercent (1).

---

(1) Hisce ultimis temporibus intensa adhibita est consideratio de *nicotianis folliis,* seu *tabaco,* quod, iuxta recentiores investigationes, in activitatem sexualem actionem directam ageret. Iam observatum fuerat, auctore etiam Despretz, experimentorum ope, imminutionem inesse generativae facultatis in quibusdam animalibus diversimode nicotianae virtuti subiectis; imminutionem — inquam — quae ligata erat atrophiae glandularum sexualium. Aliae deinceps investigationes ostenderunt revera inter varias morbi formas, a tabaci abusu inductas, impotentiam connumerari, quae semper depressivum tabaci influxum comitatur. Enimvero fistula tabacum haurire in physiologicam oeconomiam ad instar lenti veneni operatur. Absorptio enim per stomachum et vias pulmonares habetur; unde venenum gradatim inficit, et celerius, si, ut quorundam mos est, fumus deglutiatur; ita quoque infectionis

d) *Corporis activitas.* — Iam erat antiquitate receptum, physicam exercitationem valde in organismi functiones influere; sed novissime, aetate nostra, anthropometricae observationes, praecipue vero physiologica studia, physicae educationis necessitatem ostenderunt. Quae educatio diu neglecta fuit ea de caussa, quod sapientissima graecorum instituendi ratio, cuius erat physicas vires una cum psychicis armonice evolvere, (quod ad humani generis profectum valde confert) obliterata fuit. Sed physicae huic institutioni restituendae inter primos operam navarunt Montaigne, Locke, et praecipue Rousseau, qui tamen, sicut in quibusdam aliis de re paedagogica argumentis, saepenunero modum praetergressus est. Basedow deinceps, Guts Muths, et Pe-

---

gradus desumitur a diversa ratione idiosincrasiae, h. e. peculiaris temperamenti, et resistentiae uniuscuiusque individui, necnon a variis tabaci qualitatibus. — Armand Gautier et G. Le Bon analysim de tabaci fumo instituentes, nonnulla alcaloida, magis virulenta quam nicotina sit, et quae vim praecipuam exercent in spinalem medullam, deprehenderunt. G. Le Bon insuper in tabaci fumo invenit acidum cianitricum et oxydum carbonii magna proportione. Manifestum est igitur, eos, qui tabacum fumo immoderate hauriunt, quotidie harum substantiarum haud levem quantitatem absorbere, quae in universam organismi oeconomiam influit. In huiusmodi tamen casu impotentia, a tabaci abusu obveniens, minime immediatus effectus exstaret, sed potius secundarius ob graves organicas laesiones. Quod autem ita se res habeat, ex eo etiam confirmatur, quod Pieraccini, examen instituens de tabaci effectibus, qui penes mulieres, nicotianis elaborandis foliis incumbentes, deprehenduntur, invenit, morbidam nempe cronicam affectionem a tabaco illatam (vulgo *tabagismo*) haud in eis foecunditatem imminuere, at graviter bonam praegnationis valetudinem turbare. — Iuxta De Segret autem in cuniculis (*conigli*) tabaci veneno infectis, repertus esset typus atrophiae, quam Gosselin *testicularem* nuncupavit. Ut igitur concludamus, inter graves perturbationes, quas tabaci abusus organismo infert, etiam impotentia recensenda est ob atrophiam glandularum sexualium ; quae tamen profecto solummodo secundario consequitur, tamquam partialis effectus totalis gravisque venenatae infectionis.

stalozza ad studium physicae exercitationis penes populares classes provehendum, vel maxime contulerunt; quibus duo medicorum celeberrimi accedunt: Franck videlicet et Hufeland, qui primum eius salutares effectus physiologicis rationibus demonstrarunt.

Sub initio saeculi XIX, Jahn gymnasticas exercitationes primo propugnavit, quarum fortuna in posterum bene successit, potissime vero apud Germanos amore patrio potius, quam hygienica ratione ductos. — Lorinem autem bene meritus est assignando hygienicam rationem; ipse enim in quodam opuscolo: « *In difesa della salute* (1836) « propugnavit, in schola virium psychicarum superxcedentem tensionem ad aequilibrium reduci oportere ope methodicae corporis exercitationis: huiusmodi autem ratio, quae prius oppugnata fuit, postea sensim invaluit, atque hodie, tum medici, tum paedagogiae institutores retinent virium physicarum methodicae evolutioni primas in hygienica institutione partes esse tribuendas. Thoracis arctitudo, ex. gr., satis indicat, corporis robur et ad laborem aptitudinem organismo deesse, nec non morbosis affectionibus contrahendis organismum esse dispositum. Iamvero, huius physicae educationis munus est, thoracis, cui natura fuit avara, assumere curam, eumque opportuna et methodica ratione normaliter evolutum, validumque, quantum fieri potest, efformare, atque ita naturae defectum supplere, quum ad hoc aetas adhuc sit acclinis.

Cum physica deficiens evolutio, absque dubio, multum etiam in intellectivas facultates influat, gravissimum rationalis institutionis physicae momentum evidens est: sed practici quoque effectus, quos hucusque datum est obtinere, talis exsistunt naturae, ut animum erigant.

Haec autem profecto, etiam *a priori*, ostendere deberent, quod physica educatio plurimum quoad incontinentiae quoque prophylaxim valere potest.

At videndum quoque est, qua ratione physica exercitatio sexuales stimulos temperet. Muscularis activitas ita operatur, ut corporis nutritioni et augmento faveat: sanguinis circulus, muscularis exercitii ope, augetur, sanguis in activos musculos abundanter et rapide fluit et refluit; musculus, qui laborat, anidritem carbonicam et defatigationis residua amittit, quas tribuit sanguini venoso, ut per ductus pulmonares et renales deiiciantur; maiorique copia oxygenium ab arterioso sanguine absorbet; pulmones profundius respirant; cor maiori activitate agit, ut novis majoribusque sanguinei circuli necessitatibus correspondere possit, et maiori oxygenii comsumptioni prospiciat. In musculari labore organica compensatio maiori activitate pollet, atque notabiliter augetur.

Iamvero omnes istae activitates novae, quas physica exercitatio in nobis gignit, favorabiliter in genitalem sphaeram influunt, sive quia organicas conditiones meliores efficiunt, ob quas nerveum systema plus roboris acquirit, meliusque externis stimulis obsistit; sive etiam quia in organismum haud coacervantur toxinae, quae — uti vidimus — efficaciam habent ad incontinentiam excitandam.

Physica insuper exercitatio in lubricis cogitationibus mentem occupari non sinit, atque attentionem divertit ab omnibus iis, quae sexualem instinctum exstimulare possunt, atque simul levem illam virium defatigationem producit, quae somni tanquillitatem affert somniis expertem, viresque restaurantem.

Certe physica exercitatio moderata esse debet, non excedens; quia secus nimiam physicam laxitudinem gigneret, quae graviter noxia foret ob suam actionem in cor et in organicam compensationem. Potiores exercitationes sunt: deambulationes, gymnici ludi, gladiatura, natatio, in montes ascensiones. Debreyne venationem plurimum commendat, phrasi utens, quae a doct. Blanc

pictoria dicitur: ait enim: « Scimus Dianam jam usque ab origine Veneri inimicam fuisse ». In omnibus hisce exercitationibus necesse est thoracem haud arctari vestibus, aliove obstaculo, praesertim juxta morem muliebrem, quod libertatem motus impediat; ita etiam a collo et inferioribus extremitatibus impedimenta circulatoria absint, necesse est; ex gr.: linea fascia, elastica, cingula, constricta calceamenta, etc. Liberi, uno verbo, debent esse motus, liberaque sanguinis circulatio.

A physica institutione ita intellecta, valde debiles, et cardiaco morbo, tussiculisque affecti arcendi sunt; pro iis vero utilia erunt gymnastica exercitia Suevorum, utpote quae blanda sunt, et potissimum medica gymnastica.

Maximi tandem momenti est sequens doct. Good praeceptum quoad laborem: « Laborate in opere, quod adimplere debetis, qualecumque illud sit, sive placeat, displiceat sive; quod si tempus supererit, gratum vobis eligite laborem, qui, eo vel magis quo prior fuerit tantum intellectualis, spiritum simul et corpus alter occupet ».

e) De sommo. — Physica educatio nos inducit, ad aliquid *de somno* dicendum, qui continentem esse cupienti, peculiaris attentionis obiectum esse debet. « Qui excessiva aphrodisia exagitatus, bona valetudine gaudet, — ait doct. Blanc y Benet, — oportet, nonnihil temporis sommo designati subtrahat, quoniam in cubili sexuales impulsus vividiores esse solent ».

Quoad normas vero prosequendas haec teneantur: cubile potius durum sit, pulvinaria et culcitra de crine vegetali confecta, cubiculum ne calefiat, praeterquam hiemali rigidiori tempore, et tunc calor ne 9 centigradus excedat; tegumenta ne plura adhibeantur; cubitum iturus mundam vestem induat, quae nocturna sit, seu diversa ab illa, qua die utitur; neve cubando libri legantur cuiusque generis sint; mane semi-vigilantes diu

cubare nefas; hae siquidem noxiores reputantur horae, quoniam vesica, ut plurimum repleta, lecti tepor, somnia semi-conscientia, et, quod pluris est, voluntatis imminutus vigor valide sexualem incitationem inducunt; supino ventre decubitus omnino vitetur, sed potius a latere eligatur; atque, ut commodus bonusque habeatur situs, a personis normalibus nimia pulvinaria nimiumque alta ne adhibeantur.

Pueri autem somnus non ultra novem, et adolescentis non ultra septem vel octo horas protrahatur; adulti vero non ultra sex vel septem. Serotina ad recubitum hora haud nimis tarda praeferenda est; summo mane vero surgendum; ante dormitionem ne erotici legantur libri, nec quovis modo excitantes; neque gravi mentis operi intendatur. Stomacho cibis oppleto cubare noxium prorsus est, hinc a somno horis meridianis abstinendum; cibus serotinus neve succosus, neve nimius sit; et excitantes potiones (the, generosa vina, potio ex arabibus fabis, h. e., *caffè*) penitus vitentur.

f) *Spiritualis activitas* (1). — Paulisper super hoc argumento sistemus, easque tantum sententias referre contenti erimus, quae a celebrioribus spiritus magistris prolatae sunt. De hac re eximia scripserunt opera P. Alphonsus Rodriguez S. I., S. Franciscus Salesius, Scupoli, aliique; sed pulchriores efficacioresque paginas sancti illi scripserunt, qui carnis tentationibus vexati in crucis virtute optimum et unica praeditum efficacia infallibili ad eas vincendas medium invenerunt.

Videamus igitur, quaenam sint spiritualia media, quae ante tentationem adhiberi debeant; postea — se-

(1) Ultimo loco de hoc argumento loquendum duximus, quia revera id per se ad praesentis operis intentum non pertinet; nobis quippe propositum tantum erat quaestionem pertractare sub formali respectu ipsius scientiae medicae. Omnino tamen circa illud silere nefas nobis videtur.

quenti capitulo — ea inspiciemus, quae applicanda sunt in ipsa tentatione et post tentationem.

« Remedia adversus luxuriae vitium ante tentationem, — ait Scupoli, — consistunt in eliminatione causarum, quae tentationi favent: huiusmodi vitium numquam quis aggrediatur; sed occasio quaelibet vel persona, a qua minimum quidem periculum obvenire potest, vitanda est ». S. Frac. Salesius ita *Philoteae* aiebat: « Ad Deum recurre, Ipsius misericordiam invoca, Eiusque opem, hoc est, remedium, quod D. N. docet: *orate, ut non intretis in tentationem.* Quod si tu tentationem nihilominus persistere sentias vel augeri, spiritu curre ad sanctam complectendam crucem, ac si ob oculos tuos Christum crucifixum videres. Profitere te non esse tentationibus consensuram, et ab eo auxilium adversus ipsas invoca.... at dum talia profiteris et consensum refutas, noli aspicere tentationis faciem, sed solummodo Dominum Nostrum intuere, quia si tu tentationem aspicias, maxime si gravis sit, animus tuus conturbari poterit .... ».

« Fugiamus igitur, velociter fugiamus, si nobis cordi est, ne superveniens inimicus nos deprehendat, et a nobis eripiat id quod creatura Dei nobilius possidet, scil: puritatem ». Addit praeterea Scupoli, idem consilium quod etiam legitur in aureo libello, *De Imitatione Christi.*

Physiologus quoque confirmat, optimum hoc exstare remedium, ut vidimus disputantes de sexuali stimulo (1).

---

(1) Testimonium ad rem afferam ex Oppenheim excerptum quod profecto extra omnem suspicionem habetur: « Quanto più ferma è la volontà, quanto più varii gli argomenti d'interessamento, quanto più ricco il contenuto del pensiero, quanto maggiore il piacere del lavoro, tanto maggiore è anche la capacità di resistere a tutte le lusinghe e agli assalti dell'istinto sensuale. Appunto nei periodi dell'ozio e della ricreazione la facoltà della immaginazione deve aver a sua disposizione una così abbondante

Alterum quoque consilium ita a S. Franc. Salesio porrigitur: « Spiritum tuum a tentationibus diverte laudabilibus bonisque operibus incumbendo, quia cum haec cor tuum ingrediuntur ipsumque possident, tentationes eiicient, suspicionesque malignas.

Doct. Blanc, huiusmodi consilium referens, hos affert versus:

Finem qui quaeris amoris,
cedat amor rebus; res age, tutus eris....

et addit: « Medicinae doctores unanimiter cum scientiae moralis doctoribus plene consentiunt »; Debreyne, medicus et sacerdos, scribit: « Si cogitationes istae (lascivae) nimis importunae fiant, vel sint effraenis imaginationis partus, vel producantur a nonnullis recordationibus, quae in memoria vivide repraesentantur, curandum est illas amovere spiritum occupando in serio intellectuali labore, vel calculo difficili et complicato, qui attentionem omnem absorbeat ».

Doct. vero Good, testis haud suspectus, ita iuvenes alloquitur: « Mementote quidem, quod nullum aliud est medium praeventivum adversus sexualem ignobilemque amorem ac majorem habens efficaciam quam cor alteri amori ligare nobiliori atque sublimiori, amori scilicet Dei, si fidei privilegium habeatis .... ».

At si quis continentem esse cupiat, potissimum habebit medium in ipsa voluntate, cui profecto Dei auxilium non deerit; sed fortiter velle oportet.

---

materia cui applicarsi, che essa non senta il bisogno di chieder rifugio alle imnagini e alle rappresentazioni mentali d'argomento sessuale. Anche coloro, pei quali non è o cessò di essere in questione la castità e la continenza sessuale, avranno un gran vantaggio se nel cerchio delle loro rappresentazioni mentali gli argomenti attinenti alla sessualità non troveranno una parte larga nè avranno posto in prima linea fra i motivi ». *Nervosismo* (trad.). Milano 1910.

Et ad rem audiantur haec testimonia, quae et ipsa extra omnem prorsus sunt suspicionem. Doct. Moll ait: « Inclinationes sensusque acido clorydrico vel aloe non oppugnantur; necesse est eis opponere elementum eadem natura phychica constans:... ceteris mediis praestantius est voluntatem roborare ».

Good affirmat, « oportere praeprimis velle et tenaciter velle. Capitalis ista res est, sed etiam plerumque deficit.... Puto, quod gravius aetatis nostrae malum pluribus sit voluntatis infirmitas. Non sumus amplius volendi capaces.... Tanquam propriae assumuntur opiniones aliorum.... Ceterum hoc retinete: si voluntatem exercebitis, praesertim erga vosmetipsos, sensim mirum quid et vobis gratum continget: videbitis enim, quomodo ipsa semper augescat, dummodo tamen ab initio vos eam flecti non sinatis.... Nunc quidem scitote, vos posse et debere continentes esse usque in diem matrimonii; opus est, ut hoc vos ipsi velitis, quia nemo id agere vice vestra potest ».

Haec citavimus testimonia ab hominibus haud religiosis prolata, ut demonstraretur huius rei momentum ab omnibus recognosci (1). At si huiusmodi homines talia proferunt, quid dicendum erit a christiano viro sciente, se posse a Deo auxilium obtinere, Matremque in coelis habere opiferam, et coelestes denique patronos adiuvantes? — Quid a viro christiano — inquam — dicendum erit, qui scit, se a Deo singulare gratiae donum recepisse, et quotidie recipere, necnon se ad gloriam aeternam vocari?

Percutiamus igitur pectora nostra, confiteamurque, quod quotiescumque lapsi sumus, hoc accidit, quia haud firmiter voluimus; qua de re unusquisque nostrum jam noscit, quaenam in tali negotio melior sit prophylaxis, meliusque praeventivum remedium.

---

(1) Cf. infra: cap. VI, *De Psychotherapia.*

Caput Quintum

De incontinentiae therapeutica sive cura.

1. *Schema rationalis therapeuticae.* — Diagnosis caussarum aphrodisiae est maximi momenti ad rationalem therapeuticam instituendam. — Classificatio remediorum aphrodisiae.
2. *Anaphrosidiaca hygienica media.* — Balnea. — Impellentes aquae ductus. — Ablutiones. — Actio balneorum.
3. *Anaphrosidiaca pharmacologica.* — Medicamenta antiquorum. — Medicamenta quibus cum aliquo fundamento tribuitur virtus anaphrodisiaca. — Antispasmodica. — Hypnotica. — Varia.
4. *Hypnotismus, castratio, eletricitas, etc.*
5. *Spiritualis therapia.*

§ 1. — Schema rationalis therapeuticae.

Genitalis apparatus in suarum functionum rithmo quam multiplices varietates praesefert. Ex unanimi quidem physiologorum sententia dicendum est, inter omnes appetitus nullum forsitan exstare, qui magis, quam sexualis, irregularis sit; et re quidem vera, nullus majorem, quam iste, perturbationem subit ex conditionibus vitae, occupationnm, laborum, affectionum necnon moralium et intellectualium dispositionum.

Quandoque etiam tanta habetur in ipso variatio, ut status vere proprieque morbosus consequatur, scilicet, aphrodisia. Haec autem produci potest vel ex quibusdam organismi alterationibus anatomicis (ex. gr. spinalis medullae morbo), vel ex aliqua perturbatione in

gravioribus organicis functionibus, (ut in aphrodisia, quae consequitur ex erethismo psychico proprio eorum, qui phthisi afficiuntur, vel ex oxiurorum irritantium praesentia in extrema intestini recti parte). Attamen multiplices adsunt casus, in quibus aphrodisiaca incitatio mere functionalis habetur.

In utraque autem hujusmodi casuum categoria medicus plurimum juvare potest; in priori namque studia diriget sua ad curandum morbum primarium, (i. e. alterationes spinalis medullae, tuberculosim, oxiura, etc.); in altera vero varia anaphrodisiaca remedia suppeditabit. Munus equidem eius haud parvi ponderis est; unusquisque enim intelligere potest, quod, si anaphrodisiae damna (frigiditas antiquorum) parvi pendenda sunt, quia negativa tantum, atque, ut plurimum, a lege canonica vel civili dumtaxat respicienda; idem dici nequit de damnis vere positivis, quae ex aphrodisia consequuntur. Et sane aphrodisia, ob suos excessus, salutem vitamque ipsam in discrimen adducit et interdum etiam characterem cuiusdam irresistibilitatis assumit, quae alienam securitatem, bonosque mores minitatur.

Medici opera, hisce in casibus plurimum valet; at *absolute necesse est, ut is, qui efficaciter servare vel recuperare continentiam vult, omnimodam fiduciam habeat in eo, qui scientiae nomine illum sublevat, auxiliaturque in lucta adversus instinctus ignobiles.* Coeca nempe obedientia absolute necessaria est, eaque talis, quae nec segnitiem nec tergiversationes agnoscat.

Staël aiebat: « Homo etiam ex eo a brutis distinguitur, quod amori se dedere potest omnibus vitae suae temporibus; sed magis etiam ab eis distinguitur ob possibilitatem se ab amore abstinendi toto vitae suae cursu ». Altissima sane veritas sub paradoxi forma hic exprimitur; ideoque qui ad medicum recurrit, sciat potiorem secreti partem, quoad felicem exitum, in sua cooperatione consistere.

Quaenam vero erit methodus rationabilis therapeuticae?

— Si — seclusis casibus, in quibus aphrodisia est simpliciter gravioris morbi symptoma, et de quibus hic non loquimur, quia consilia tantum exhibemus iis, qui continentes esse cupiunt, haud vero pathologiae tractationes exaramus — si, inquam, externae conditiones huiusmodi sint, uti vidimus, quae notabiliter sexualem appetitum immutent, primum therapeutae officium erit, has causas de medio tollere. Sed neque seponenda unquam sunt illa media opportuna, quibus organismus aptior evadat ad sexuales impulsus retundendos, firmamque voluntatem reddendam.

Sub hac itaque generali ratione intellecta aphrodisiae therapeutica, evincitur, istiusmodi curam haud restringi posse ad quoddam remedium praescribendum vel aliquem hygienis modum, vel moralem aliquam normam. Remedia enim anaphrodisiaca complexive applicanda sunt; aegrotus nempe tali regimini anaphrodisiaco subjiciendus est, ut una simul ethicum, intellectuale, atque physicum sit. Medicus enim, qui hisce in casibus vel medicamenta, vel hygienis leges, vel potiora spiritualia auxilia negligit, gravissimum errorem admittit, cuius poena est frustratio operis.

Anaphrodisiaca itaque vocantur illa media moralia, hygienica, medicamentosa, topica seu localia, quae sexuali minuendo appetitui, abormiter excitato, idonea sunt.

Olim vero distinctio habebatur inter media *anaphrodisiaca* et *anti-aphrodisiaca;* quorum priora ea sunt, quae in normali statu adhibentur, et ad producendam frigiditatem seu *agenesiam* tendunt; posteriora vero, quae ad sexualem erethismum sedandum diriguntur. Distinctio, quam dedimus inter incontinentiae prophylaxim et therapeuticam, huic distinctioni valorem adimit.

Olim quoque multa agnoscebantur anaphrodisiaca media, quae per plura saecula in magna fuerunt aestimatione; at hodierna medicinae scientia demonstravit, valde ex his pauca esse, quae efficaciam eis tributam realiter habent, et huiusmodi quoque medicamenta ad minima eadem scientia reduxit, augendo potius hygienica media. Inspecta itaque quoad eorum actionem ita possunt distribui anaphrodisiaca media:

1. quae vim exercent: psychicam
2. » » » in cerebrum
3. » » » in spinalem medullam
4. » » » in glandularum secretionem
5. » » » in exteriora generationis organa
6. » » » in organicam compensationem

Nos vero has categorias haud sequemur, quia minime aptae videntur systematicae expositioni, ob rationes, quas inutile hic foret expendere, sed potius alteras empiricas, scilicet:

1.° remedia hygienica; 2° pharmacologica generalia; et 3° remedia localia, vel topica; 4° tandem spiritualia.

§ 2. — Anaphrodisiaca hygienica media.

Praeter hygienica media, quae iam inter prophylactiva enumeravimus, alia quoque habentur hydrotherapicae curae valde opportuna. Balnea enim, ablutiones, impellentes aquae ductus (vulgo: *doccia*, *douche*, *giessbad*) certe vim exercent anaphrodisiacam.

Et revera, balneum praeprimis actionem habet detersivam, quae in incontinentiae therapia maximi est momenti. Nam a cute, seu *epidermide*, continuo separantur tamquam exsiccatae squamae elementa cornei stratus corrupta; quotidie organismus aliquid deperdit cellularium elementorum iam veterescentium, atque una simul sudorem emittit, qui est effectus secretionis qua-

rundam glandularum, quae in imo cutis stratu (derma) reperiuntur. Cum sudore vero — utpote qui acres, pluresque substantias organicas et inorganicas continet, necnon speciale quiddam acidum adeps, characteristicum ei odorem conferens — nonnulla alia miscentur elementa; e. g. illud, quod e glandulis sebaceis producitur, quodque adiposum potissimum habetur in genitali regione, penes quam peculiares exstant glandulae. Huiusmodi substantiae, cum recipiantur in corporis superficie, putrescunt, et peculiaria quaedam bacteria gignunt (quorum pathogena nonnulla) cutis provocantia inritationem; quae ut plurimum venereum stimulum reflexe producit, seu pruritum excitando. Hinc maxima balnei utilitas, ratione etiam anaphrodisiae, praesertim pro individuis obesis puerisque.

Balnea insuper actionem generalem in organismum exercent; illa autem frigida vel tepida esse possunt. Frigidum balneum habetur a 20 ad 25 gradus cent.; tepidum vero a 25 ad 32 g. cent. Diversimode vero agunt ista duo balnei genera. Frigidum namque praeprimis nerveum roborat systema; constringit insuper vasa periferica sanguinem continentia, diuresim auget, et activitatem respirationi, sanguinisque cursui confert. Pro iis vero, qui debilitate quadam laborant, maxime utile videtur, quia organicam auget compensationem. Sed quoniam in organismum fortiter agit, absolute prohibendum est iis, qui cardiaco vel pulmonari afficiuntur morbo, et iis quoque, qui valde incitabile nerveum habent systema.

Pro iuvenibus autem, viribus optime valentibus, valde efficax est; at balneo subrogare convenit interdum ductum impellentis aquae (*doccia, douche, giessbad*), quae temperaturae gradum a 25 ad 32 attingat (1). In

(1) Pressio impellentis aquae debet esse dimidium unius athmospherae.

quovis autem casu balnea ne ultra 15 horae momenta protrahantur; ductus vero aquae tria horae momenta haud excedat, quoniam, si ulterius continuetur,, efficaciam amittit. Favente vero anni tempestate, balnea marina vel secus cursus aquarum praeferenda erunt, quia natationi exsequendae, quae valde utilis est, commoditatem afferunt.

Tepidum balneum est sedativum validumque medium; ideoque adhibendum, quoties nimia sexualis appetitus inritabilitas habetur; caloris enim naturalis gradum regularem efficit, bonae valetudinis sensum impertitur, atque nerveo systemati robur addit inritabilitatem minuendo, dulcique favendo sopori. Ii praeterea, qui accessibus psycho-motoribus laborant, cum in tepidum balneum merguntur, gradatim quietem adipiscuntur, et ex illo exeuntes profundo urgentur somno, qui eorum reficit vires. At si in morbosis formis adeo gravibus balneum efficit, ut providus habeatur somnus, non minorem virtutem habebit, cum de nimia sensus genetici inritatione agitur.

Et re quidem vera *priapismus* et *nymphomania* quandoque recesserunt hydrotherapica adhibita cura. *Omnibus igitur iis, qui habitualiter nimiam sexualis appetitus excitationem patiuntur, diebus alternis vel etiam quotidie, per longiorem temporis periodum, tepidum consulimus balneum.*

In tepidi balnei vero locum substitui etiam potest tepidae ductus impellentis aquae (*doccia*) gradus habentis a 32 ad 35.

Balnea etiam hoc in casu ne ultra 15 horae momenta protrahantur; ductus vero 3 haud excedat momenta; observare autem praestat, necessarium esse legibus atque monitis supra expositis adamussim obtemperare, quoniam nisi haec observentur, contrarius habebitur effectus.

Sed antequam systematica assumatur cura hydrotherapica, medicum consulere oportet (1).

Optimi quoque habentur effectus, si frigida balnea usque ad medium corpus, (*semicupi*) vel matutinae, spongiae ope, frigidae aspersiones adhibeantur; quotquot sunt viribus validis iuvenes, hoc exsequi debent; quod certe ab initio difficile videri poterit ob naturalem repugnantiam superandam, sed a lapsus caussis servabit. Melius insuper erit, si post aspersiones istas fiant etiam fricationes arida manu crinibus contecta (*massaggio*). Hiemali vero tempore fricaturae fiant absque praecedenti spongiae aspersione.

Ad haec autem hygienica media physica quoque addere oportet, quae descripsimus, loquentes de incontinentiae prophylaxi; haec tarde quidem, sed certo exitu operantur; at necesse est, ut methodice et systematice adhibeantur.

§ 3. — Anaphrodisiaca pharmacologica.

A veteri medicina ingentem accepimus numerum medicamentorum, quae inter anaphrodisiaca numerantur; at ne unum quidem eorum critica atque experimenta validum confirmarunt. *Nullam equidem substantiam habemus, quae virtutem directe minuendi sexualem incitationem contineat.* Neque hoc mirari quis debet; nam, uti vidimus, sexualis appetitus ab implexa phaenomenorum summa consurgit, inter quae haud ultimum locum occupat operationum *psychologica series.* Unde talis appetitus natura limitatum eorum conceptum transcendit, qui in illo factum mere physiologicum perspicere autumarunt, et recte quidem docet

---

(1) Optimi quoque sunt ductus impellentis aquae nuncupati « scozzesi », id est, ductus frigidus (25 cent.) et ductus calidus (40 cent.) alternatim.

Moll, quod appetitus sexualis abnormis excitatio acido chlorydrico vel alöe minime vincitur; sed ad hoc necesse est complexam adhibere therapiam, potissime vero theraphiam psychicam (1). Attamen ex pharmacopeja quaedam suppeditari possunt substantiae, quae in nerveum agentes systema, sexualis appetitus incitationem aliquatenus et solum indirecte minuant.

In hac porro veritate prorsus insistere oportet; multi siquidem contrariam retinent opinionem; et persaepe nobis iuvenes occurrerunt, praepotenti sexuali impulsu vexati, qui eos ad malum ciebat, et cuius turpitudinem ceteroquin sentiebant, sciscitantes medicamentum, quod illico eos curaret. At profecto isti se illudebant, eodem pacto ac illi, qui haud raro medicorum praestolantur opem, ut frigiditatis, quam cum coniuge experiuntur, remedium accipiant.

Olim sane exstitit *monachorum liquor* et *castitatis syrupus;* at haec medicamenta a pharmacopeja prorsus exsularunt. Item etiam virtus anaphrodisiaca tributa fuit medicamento, quod *agnus castus* appellabatur, et nihil aliud erat nisi verbena, quae designabatur quoque nomine *gratilici*, vel etiam adhuc expressius, *poivres des moines;* ex qua quaedam essentia parabatur cum aqua stillata, et appellabatur syrupus a *castitate* (*sciroppo di castità*).

Similiter anaphrodisiaca virtus nymphaeae (*nymphaea alba*) tributa fuit; quia elegans iste flos, cum putrescentes inter aquas innatans, latis circumdatus opimisque foliis, candorem servet suum, a poëtis puritatis symbolum habitus est. Fortasse vero anaphrodisiaca virtus huic flori adjudicata fuit ex eo etiam quod quandam vim habet sedativam.

Doctor autem Blanc y Benet refert virtutem anaphrodisiacam tributam quoque olim fuisse *nitrato potas-*

(1) Cfr. cap. VI: *Psychotherapia incontinentiae.*

sico, quod est quoddam sal diureticum et laxativum; sed iuxta eumdem auctorem virtutem minime aestimandam in functionem sexualem habet.

Medicamenta vero, quibus cum aliquo fundamento virtus anaphrodisiaca assignatur, disponenda esse censemus secundum distributionem physio-therapeuticam a prof. Baldi confectam, et postea a doct. Piccinini in hanc formam redactam, videlicet:

a) Pharmaca virtutem moderatricem habentia:

1. adynamica, quae minuunt excitabilitatem nerveam generatim (*anti-spasmodica anodyna*): bromura, morphina, atropa belladonna, lupulina, cicuta, lactucaria, etc.;

2. quae functiones corticales moderantur (hypnotica): sulfonal, veronal, etc.;

3. quae moderantur somaticum caloris gradum (antipyretica, antireumatica, etc.): salicilatum sodicum, fenacetina;

4. quae moderantur secretiones;

5. quae moderantur tensionem in sanguinis cursu (angio-paretica).

b) Pharmaca virtutem excitantem habentia:

1. dynamica cordis (cardio-cinetica).

2. dynamica functionum organicarum generatim (analectica).

3, dynamica compensationis organicae.

4. dynamica ad secretionem sudoris.

c) Antiseptica.

d) Medicamina opotherapica.

1. *Antispasmodica:* anaphrodisiaca harum substantiarum virtus ex eo provenit, quod directe in centrale nerveum systema, secundario autem in perifericum systema agunt: ex his quaedam incitabilitatem cerebrospinalem deprimunt (antispasmodica directe sedativa);

alia inhibitoria centra nervea excitant, ideoque, indirecte, cetera deprimunt centra (antispasmodica indirecta seu extimulantia). In quolibet casu habetur depressio in spinalis medullae centris, quae generationis organis praesunt; in prioribus autem etiam incitabilitatis generalis imminutio habetur. Quae vero aptius ad rem nostram faciunt, sunt:

Bromura, quae in casu utilia sunt ob eorum virtutem sedativam in omnibus formis sexualis erethismi, praecipue vero quando hic provenit ex generali nervea incitatione. Ea igitur inter anaphrodisiaca potissima habenda sunt. Quanti autem sint momenti sexdecim abhinc annis jam a Pache et Huette agnitum fuit. Nihil vero aliud sunt, nisi salia quaedam, ad crystallorum genus pertinentia, aqua solubilia; at valde dilui debent ad eorum inritantem actionem in mucosas partes vitandam. Generatim autem bromura notabili quantitate, quae eousque propere augeatur, praeberi debent, ut eius percipiatur utilitas; secus organismus eis assuescit et eorum actionem non amplius persentit. Horum vero usum interrumpere oportet, ne bromi-toxica infectio consequatur.

Sequentes itaque recipe formulas:

Bromurum potassicum	gr. 4
» sodicum	» 2
» ammonicum	» 1

Misce secundum artem; divide in 3 vel 4 chartulas sumendas spatio 24 horar., et unamquamque chartulam aqua diluito.

Optimos quoque gignit effectus *bromurum camphorae.*

Recipe:

Bromurum camphorae » ammonii	aña gr. 1

Divide in chart. sex; sume spatio 24 horar.

Quando vero agatur de casu graviori, optimum erit *bromurum camphorae* suppeditare ope hypodermicae insitionis.

Recipe:

Monobromurum camphorae	gr.	1
Oleum olivae purificatum (*sterilizzato*)	»	10

1 — 2 syring. Pravaz.

Si autem virtuti sedativae hypnoticam quoque quis adiungere desideret, bromurum chloralio misceri potest hac ratione:

Recipe:

Bromurum potassicum	gr.	6
Chloralium hydratum	»	1-2
Aquam	»	200-300
Syrupum cedri	»	30-40

S. in 3-4 dos.

De camphorae vero et chloralii virtute infra videbimus; interim animadvertimus conveniens esse, ut bromuris adiungantur corroborantia remedia: ferrum nempe, arsenicum, calcium, phosphorus etc. Quamvis autem nonnulli doctores bromurum ferri praebeant, optimum tamen erit separatim a ferro illud suppeditari, quoniam bromurum facile alteratur.

Opium, ejusque derivata. — Opio anaphrodisiaca virtus, quam quidem non habet, tributa fuit; at profecto indirecte agit tamquam sedativum nervei systematis.

Hyoscina. — Ultimis hisce temporibns demonstratum fuit, huiusmodi pharmacum maximi momenti esse tamquam nervei systematis sedativum. Est porro sub-

stantia quaedam liquida ad modum syrupi ex *hyosciamina*, quae continetur in foliis et seminibus illius plantae, quae *hyosciamus niger* (*Solanacea*) appellatur, quaeque actionem *atropinae* similem habet. Nerveum-musculare systema valide deprimit, et energicam actionem exercet tamquam angio-pareticum generale. Quae sane proprietates nobis suggerunt applicandum tale remedium eo casu, in quo aphrodisia a genitali erethismo proveniat. Suam activitatem exercet, si a $^1/_2$ ad 1 milligr. adhibeatur, atque ut plurimum sub chloridati forma: optimumque erit illud per os sumere, quoniam lenta ejus absorptio perturbationes circulationis sanguinis devitat. A *hyoscina* revera optimos habuimus effectus; unde concludere fas est, iure meritoque tale pharmacum in therapeutica aphrodisiae cura inter meliora recenseri. Sed necesse est subministrationem attente vigilare: *mydriasis* tamen, vomitus, pulsus prima signa praebent, ex quibus dignoscitur, quomodo sit procedendum.

Morphina. — Fubringer proposuit tamquam medium ad devincendam aphrodisiam, provenientem a neurasthenia sexuali, ipsam *morphinam:* haec enim, juxta ipsum, convulsionem sedat vesicularum seminalium. Iure tamen dr. Blanc animadvertens generales medicamenti huius effectus et usum, illud dissuadet; utile vero erit, si localiter adhibeatur, quando *aphrodisia* ex excitatione consequitur a *blenorragia* vel recti *tenesmo* producta (1).

Eroina. — Eroina, aetate hac nostra communi accepta favore, propugnatorem habuit doct. Strauss, qui affirmat, se optimos ex tali medicamento retulisse effectus. Et revera, utiliter profecto morphinae subrogari potest, quoniam in nerveum systema analogam exercet actionem, at minus violentam, ita ut eius usus minori sit obnoxius periculo.

---

(1) In affectionibus localibus, uti in *tenesmo blenorragico,* adhibetur *stovaina.*

Atropa belladonna. — Videtur, quod actionem sedativam haec exerceat in periferica centralium nervorum principia; ideoque tale medicamentum habitum fuit tamquam anaphrodisiacum. Virtus tamen eius insufficiens est: sed animadvertatur, quod majori adhibita quantitate vim aphrodisiacam exercet.

Camphora. — In spinalem medullam agit, et pro tanto etiam in centra partium genitalium: praesertim adhibita fuit ad *onanismi* prophylaxim; atque de ipsa vetus Salernitana schola aiebat: *Camphora per nares — castrat odore mares.* At minime consulenda est, uti vellet Sollier, sub forma inhalationis per nares; potius vero sub forma monobromuri camphorae iuxta formulas superius allatas (cfr. pag. 170). Blanc praescribit, ut suppeditetur sub globulorum forma, (vulgo: *capsule gelatinose*).

Lupulinus. — Tamquam celebre remedium anaphrodisiacum habetur. Est autem pulvis quaedam rubra flavescens, resinosa, aromatica, amaro referta sapore, quae ad basim conorum illius plantae, quae *humulus lupulus* (orticacea) appellatur, exterius reperitur. Maturitatis tempore pulvis ista fructus circumdat. *Lupulinus* vero dicitur a *lupulo*, quia ejus proprietas est strangulare sive suffocare arbuscula, quibus illigatur. Raspail demonstravit, lupulinum fere exclusive a glandulis efformari; Personne vero, dispendio textorum epidermidis gigni. In resinosa materia, quae lupulini granulos replet, flava resina reperitur, hoc est oleum essentiale ex carburo compositum hydrogenii (C^{10} H^{10}) (quod est isomerum essentiae terebenthinae) et ex essentia oxigenata (C^{32} H^{30} O^{7}) crystallizabili atque acidula, una cum sale ammoniacali et calcis phosphato.

Ob terebenthinam et camphoram, quas lupulus iste continet, virtutem sedativam exercet in nerveum systema.

Complures auctores huiusmodi virtutem extollunt, uti Page, Aran, Parat, Depont; Gubler autem efficaciam ei tribuit ad genitalem erethismum sedandum, quum iste ab inritatione genitalis mucosae provenit. Sed licet istud pharmacum plurimum celebratum sit, tamen Richard et Furbringer declarant, praesumptam illius anaphrodisiacam virtutem suo fundamento penitus destitui. Et recte quidem; nam quum nos ipsi eo usi fuerimus, optatum effectum non habuimus, dum e contra tamquam efficacia experti sumus *bromura* et *opiacea*. Nobis igitur videtur, quod, posita eius virtute debili atque incerta, (rapide paucis mensibus immutatur, praesertim si coram luce servetur), eam non mereatur fiduciam, quam veteres de illo medicamento habuere. Nulla igitur cura impendatur, ut bromuris et opiaceis subrogetur. Recipi tamen potest sub hac formula:

Pulveris lupulini	gr. 1
Sachari	» 2

Confice chartul. a 4 ad 6 quotidie sumendas.

Venale etiam prostat sub forma tincturae alcoolicae ad $^1/_4$, quae eadem dose suppeditari potest.

Cannabina — sive asciscina, resina est, quae colligitur a florescente planta, *Cannabis indica*, vel *Haschich* nuncupata; at quamquam huiusmodi substantia tantam vim habeat, ut eius abusus (orientales fistula eam hauriunt, uti opium) gravia damna producat, eius tamen essentia, quae venundatur, debilem virtutem sedativam continet: unde ejus usus non expedit.

2. *Hypnotica*. — Quoddam substantiarum genus habetur, quae capaces sunt somnum producendi ad instar physiologici somni, quin gignant depressivum illum effectum, quem causant morphina et illae substantiae, quae opiaceae vocantur. Hypnotica sane maximam utilitatem afferunt in aphrodisiae cura. Et revera,

qui incitabili temperamento praediti sunt, qui somnum capere non valent, et qui interdum a lubricis et eroticis turbantur somniis, ex hypnotico remedio haud levem utilitatem experiuntur. Profecto autem praeferendum est:

Chloralium hydratum — quod suppeditari nocturnis convenit horis, cum quis dormitum se confert, ut actio hypnotica coincidat cum hora naturalis dispositionis ad somnum; attamen ob actionem, quam habet in cor, prohibendum est iis, qui vitio cardiaco affecti sunt.

Quoniam vero huiusmodi pharmaco faciliter organismus assuescit, optimum erit alternatim aliud hypnoticum pharmacum ei subrogare. Chloralii caeterum ope (dose quae unius gram. sit) somnus obtinetur placidus, haud somniis abruptus, satisque gravis; et cum quis excitatur, neque torporem, neque conscientiae stuporem, neque cephaleam patitur. Sed ut jam vidimus, bonum erit ei adiungere bromurum vel lactucae aquam.

Recipe:

Hydratum chloralii	gr.	1 ad 4
Lactucae aquam	»	150
Syrupum cedri	»	30

Cochleari sumatur.

Vel etiam, praeter eam, quam, iam de bromuris loquentes, exhibuimus formulam, sequens dari potest:

Recipe:

Hydratum chloralii	gr.	2
Bromurum potassicum	»	3 ad 6
Aquam fontis	»	2.50
Laudanum liquidum	guttas	XX

Clysterio suppeditetur.

Ex omnibus vero aliis innumeris hypnoticis, quae pharmacopeja possidet, certo certius optima habentur sequentia:

Sulphonal. — Hypnoticum istud haud noxiam in cor exercet actionem; at facile perturbationes gastro-entericas generat. Hujus autem medicamenti duo gramm. suppeditentur soluta in ptisana calida; tertiaque pars sumatur per unamquamque dimidiam horam usque dum somnum conciliet.

Dormiol — ipso sulphonal praestantius exstat: minime nocet, et utile analgesicum est; dose 0,50 ad 2 gr. suppeditetur.

Edonal — utile hypnoticum esse perhibetur: dose 1 ad 2 gr. post cibum praebeatur.

Veronal — optimum hypnoticum, haud analgesicum, est senibus accomodatum; sumendum dose gr. 0.25. Sed insuper inter hypnotica possumus quoque recensere:

Lactucam et *lactucarium.* — Lactucam iam apud veteres anaphrodisiacam possidere virtutem fama erat. Imo quoddam lactucae genus εὐνούχιον ab εὐνούχος = *eunuchus* = appellabatur; et opinio erat apud romanos, quod Adonides a Venere in lactucae campo sepultus fuisset; ideoque herba illa tamquam anaphrodisiaca ab eis reputata fuit, atque in coena ante dormitionem manducabatur (Ovid.). At profecto non expedit huiusmodi fidere remediis! Nonnullis tamen placuit lactucarium suadere, seu essentiam *lactucae virosae;* quod sufficiens quidem hypnoticum est, atque ut plurimum pillulis vel gummosa emulsione praebetur. Maximae doses reputantur: gr. 0,50 — gr. 1,50 pro die.

3. *Varia.* — Inter nervei systematis sedativa *cicutam*, eiusque alcaloidem, *conicinam*, heic recensere possumus. S. Hieronymus refert, sacerdotes quotidie quandam cicutae (*cicuta virosa*) quantitatem comedisse, ut se castos servarent. Conicina reipsa activitatem nervei systematis periphaerici minuit (iuxta Blanc in patellas motrices agit, et fortasse etiam in nervei centri systema iuxta Fonssagrive); quam forsitan ob rationem inter anaphrodisiaca habita fuit. At huiusmodi al-

caloides pharmacum est periculosum sicut gladius utraque parte feriens: activitatem enim gangliorum cordis auferre valet: qua de caussa purum fere nunquam adhibeatur, et rarissime etiam cum aliis substantiis mixtum. De illo igitur diffidere bonum erit.

Hactenus egimus de praecipuis substantiis, quae in nerveum systema tamquam media anaphrodisiaca agunt; videamus modo cetera medicamenta, quibus etiam anaphrodisiaca virtus tributa fuit, quaeque ad rem nostram indirecte utilia esse possunt.

Brughmann et Corvisart proprietates anaphrodisiacas *digitalis* magnificaverunt; sed ulteriori inquisitione compertum est, eius actionem anaphrodisiacam valde dubiam esse. Utilitatem tamen aliquam affert, quum agitur de aphrodisia masturbationis, in qua frequenter cardiopalma valde notabile perhibetur. Digitalis quippe in eo casu cordis functionem moderabit, frequentiam minuendo maioremque energiam singulis cardiacis pulsationibus addendo.

Quod autem de digitali affirmatur, de *digitalina*, *caffeina*, etc., dici quoque potest; haec enim anaphrodisiaca esse videntur.

De virtute vero anaphrodisiaca a quibusdam auctoribus tributa *iodio*, *citrato cornutinae*, *ergotinae*, vomitoriis (*tartarus emeticus*, *apomorphina*), sudorem excitantibus (*hipecacuana*), valde dubii sumus. Omnibus enim hisce remediis etsi ratio theoretica favere videatur, deest tamen clinica confirmatio quoad singula facta observata, quorum gratia remedia illa proposita fuerunt.

Saccharum quoque, dose 500 gr. pro die, lacti vinoque immixtum, efficacem anaphrodisiacam virtutem continere a nonnullis asseritur; quod tamen non comprobarunt ulteriores observationes.

Van Corput, anno 1859, nonnihil anaphrodisiacae virtutis in *antisepticis* comperisse retulit; et Booth in quibusdam priapismi casibus *iodurum potassicum*

praescripsit, ex cujus usu secuti sunt optimi quidem effectus.

At de omnibus hisce remediis tempus aequus adstitit judex; auctores namque alii ex aliis tantummodo observationes desumunt, repetuntque, quin nova et ulteriora referant facta positiva: quod profecto necesse foret, ut huiusmodi pharmaca inter anaphrodisiacas substantias recenseri possent.

Animadvertere tandem oportet, quod plures nervei erethismi casus, qui cum notabili aphrodisia manifestantur, ex gravi profluunt debilitatione; ideoque alimento opportunisque remediis vires corroborare necesse tunc est, potius quam debilitatum nerveum systema quibusdam substantiis eo magis extenuare. Inter ea vero, quae ad hoc conferunt, quampluribus sepositis medicaminibus, tria revera, *ferrum* nempe, *arsenicum*, *phosphorus*, aestimabiliora semper habita sunt.

Sed heic proprium obtinet locum *organotherapia*. Medicamentum autem, quod maiori favore a clinico excipiatur, profecto, *lecitina* est; ex hac enim interdum inopinati consequuntur effectus. In disquisitione vero haud immorabimur circa medicamentum applicandum in variis formis morbosis, quae symptomata quoque aphrodisiae praeseferunt: tenesmi enim rectalis, vaginismi, uretritis, etc., frequentia est sane motivum in gravioribus aphrodisiae casibus ad medici opem recurrendi, ut ipse, examine adhibito, huius vel illius formae morbosae praesentiam advertat, utile interim suppeditando remedium.

§ 4. — **Hypnotismus, castratio, operationes chirurgicae, electricitas.**

1. *Hypnotismus*. — A nonnullis auctoribus, et praesertim a Forel, Kraft-Ebing, Bernheim, Obersteiner, Dessoir, Sperling, Moll, *somnus hypnoticus* propositus fuit ad psychopathias sexuales et ad perversiones sexuales graviores curandas. Et re qui-

dem vera, effectus, quos illustres isti viri obtinuere, talis naturae sunt, ut de hypnotismo, tanquam efficaci remedio ad huiusmodi affectiones curandas, persuadeant. Attamen observari debet, postremis hisce annis clinicorum fervorem pro huiusmodi curae methodo refrixisse. Agitur enim de medio, cuius mechanicam actionem fere ignoramus; quod etiam interdum fallit, et prorsus inefficax evadit. Adsunt insuper superioris ordinis rationes, quae istius medicamenti usum limitant ad eos casus dumtaxat, in quibus constat cetera media prorsus inutilia evasisse. Unde iure dr. Blanc y Benet dicit: « Inter media, quae plus habent periculi, quatenus voluntatem deprimunt, quia eam spoliant habitu se per semetipsam curandi, eoque tendunt, ut sensibilitatem et incitabilitatem augeant, quae valida venerei appetitus sunt adiumenta, hypnotismus habendus est. Qua de caussa noxium judicamus eius usum, et ipsius quoque interventum in paedagogiam et educationem. Operae potius pretium erit animum educare, ut quisque addiscat voluntatem moderare; et ad hoc nobiles animi sensus in debilem virum inserendi sunt; neque dicatur, quod huiusmodi media suggestiones appellantur.... Suggestio namque dicenda quidem erit, sed optimi sane generis, quod nequaquam de hyponotismo dici unquam poterit (1).

2. *Castratio* — quoque ab aliquibus medicis admissa est. Mayer putat eam esse necessariam, quando agitur de aphrodisiae instinctu; eoque magis, quo hic ad sexuales perversiones adducit: at naturalis prudentiae dictamen, quin opus sit medicorum judicio, sufficit ad ostendendum, iure meritoque tale medium ab Ecclesia reprobari.

3. *Operationes chirurgicae.* — A chirurgicis operationibus, quae a nonnullis auctoribus propositae fue-

---

(1) Cfr. infra: Cap. VI, *Psycotherapia incontinentiae.*

runt ad masturbationem in iuvenibus curandam, quaeque graviter noxiae sunt ob remotos effectus, nec ullum afferunt beneficium, una excipitur, quae circa *phymosim* versatur, et quam necessariam quandoque esse meminisse juvabit. De ejus ceteroquin opportunitate chirurgus iudicabit.

4. *Electricitas.* — Ultimo tandem loco de *electricitate* dicendum, de qua, aetate hac nostra, plurimum disceptatum est.

Haec enim a Bear celebrata, methodus insufficiens habita est a Furbringer et a Blanc y Benet. Ingentes equidem exaggerationes propositae sunt, sive pro, sive contra electricitatem. At certe constat pluribus in casibus, ad examen revocatis a Kraft-Ebing Moll, Möbius, Tanzi, aliisque, electricitatem in re nostra plurimum utilitatis afferre posse. Infelices vero exitus explicantur ex difficultate applicationis; et reipsa, uti compertum est, electrica vibratio *galvanica* et *faradica*, necnon intensiores vibrationes, saepe saepins ad effectum oppositum pertingunt. In peculiaribus igitur technicis conditionibus exponendis haud immoramur; in singulis enim casibus potissimos in arte peritos (*specialisti*) adire oportebit.

Ut igitur finem ponamus brevi huic de aphrodisiae cura disquisitioni, dicendum est, nos in hygienis studio optima habere adiumenta; praesto enim nobis sunt quaedam pharmaca, *bromura* praesertim, quae utilia profecto sunt ad venereum erethismum sedandum. Praeterea si verum est, aliqua media nullam ipsis tributam habere efficaciam, alia equidem habentur, quae adhiberi fructuose licebit, si priora evadant inania.

§ 5. — Spiritualis theraphia seu cura.

Ex parte scientiae medicae nihil aliud heic addendum est praeter ea, quae jam dicta sunt, cum de prophylaxi sermo habitus est. Quod vero ad religionem spectat, nos scimus, quaenam specialis et unica virtus ex Crucis potentia proveniat; per ipsam enim datur tentationes invicte superare, et a lapsu resurgere. Christus enim, in hunc mundum veniens, nobis supernaturalia contulit media, quibus nostrum assequi valeamus finem; sacramenta, videlicet, orationem, sanctorum exempla, atque efficax aeternae gloriae desiderium. Ad haec ergo unusquisque rite et frequentius recurrat, et profecto non deerit victoria.

Caput Sextum

Psychotherapia incontinentiae.

Introductio. — Efficacia psychotherapiae.

1. *Psychotheraphia generatim inspecta.* — Notio. — Hypnotismus et psychotherapia. — Notiones psychologicae necessariae ad recte intelligendum quomodo psychoterapia agat. — Mechanismus habitudinis. — Educatio voluntatis. — Reflexio meditativa. — Efficacia psychotherapiae.
2. *Psychotherapia incontinentiae et praesertim masturbationis.* — Efficacia psychotherapiae quoad masturbationem. — Principia psychotherapiae — Media practica. — Conclusio.

Hisce ultimis temporibus comperta sane est psychotherapiae efficacia ad incontinentiam et praesertim ad masturbationem curandam. Ad rem igitur conveniens est de hac agere in speciali capitulo. Et in primis notiones fundamentales necessarias exponemus, idest, naturam et methodum psychotherapiae; deinde, technicam servandam rationem explanabimus, et, postremo, considerabimus effectus speciales, qui nos ad huiusmodi methodum curationis applicandam inducunt.

§ 1. — Psychotherapia generatim inspecta.

1. *Notio psychoterapiae.* — Maximum quidem favorem psychotherapia novissime est consequuta. Sed ne

quid nimis huic tribuatur, ab eorum excessibus cavendum est, qui hanc scientiam exclusivum constituunt fundamentum therapiae tum physicae tum psychicae.

Ex sententia quippe quorumdam medicorum, gallicae praesertim nationis, psychotherapia est omnipotens et ad omnem infirmitatem curandam destinata est, ceteris quibuscumque mediis abrogatis. Imaginatio enim, secundum ipsos, tantam vim habet, ut sufficiat persuasum de re quadam aliquem facere, ut ab illo, quidquid velimus, obtineatur. Sed recentiores ultro fatentur, difficile admodum esse media persuasionis invenire. Excessus igitur devitantes, tantummodo judicabimus, quid boni atque utilitatis nova haec doctrina contineat.

Psychotherapia itaque definitur ars, vi cujus nostra ita utimur voluntate, ut volendi potentia augeatur, et humana personalitas perspicue affirmetur per firmam directionem nostris ideis et sensibus impressam et per executionem deliberationum, quae procedunt ex libero et rationali actu voluntatis (1).

Nequaquam autem est confundenda haec ars cum phychotherapia illa, quae nihil aliud importat nisi novam formam therapiae suggestivae et hypnoticae ipsius Salpêtrière et scholae Nancy, et quae ligata est nominibus Charcot et Bernheim.

Uti vero animadvertit Grasset, ob studia de hypnotismo et suggestione tam late patuit obiectum psychotherapiae, tamque ejus vis aucta est, ut tota psychotherapia constricta sit in suggestionis therapia; et hae duae voces tamquam univocae habitae sint.

Unde cum suggestionis incommoda et damna protinus apparuerint, contra psychotherapiam obiectae sunt

---

(1) Hic fusius excribimus, quae jam edidimus in nostro opere, cui titulus: *Il segreto per esser felici. Considerazioni sui progressi della psicologia in rapporto alla educazione del carattere.* Milano, 1908.

difficultates, quae in hypnotismum inferebantur: et hinc factum est, ut psychoterapia ab aliis impensius magnificaretur, et ab aliis e contra tamquam caussa gravissimorum malorum accusaretur, quae soli revera tribuenda erant hypnotismo.

Ut suum igitur jus unicuique reddatur, et a psychotherapia huiusmodi excessus honoris necnon opprobrii auferatur, distinguenda est psychotherapia, quae operatur mediantibus centris psychicis superioribus ab ea, quae per centra psychica inferiora agit. Haec altera psychotheraphia nil aliud efficit, quam subducere centris psychicis superioribus centra psychica inferiora. Quod accidit in somno hypnotico et in suggestione. De huiusmodi itaque psychotherapia inferiori seu hypnotismo, quia multas et graves attulit illusiones, nihil dicendum. Studio potius nostro subiiciemus psychotherapiam, quae utitur processibus psychicis superioribus, seu psychotherapiam proprie dictam.

Haec vero penitus differt a theraphia hypnotica tum actionis mechanismo, tum mediis, tum medicis indicationibus et contra-indicationibus. Ejus praeterea finis est intensificare actionem facultatum psychicarum superiorum in totum organismum et in omnes facultates psychicas inferiores.

At fatendum equidem est, psychotherapiam affinitatem multam habere cum persuasione, consiliis, vel paedagogia. In hoc vero tantum differt, quod illa ad infirmos curandos, haec vero ad perficiendos et meliores efformandos homines sanos dirigitur. Hinc intelligitur, quomodo praetiosissima sit horum omnium elementorum collaboratio.

Educatio enim et psychotheraphia sese mutuo maxime iuvant. Et hinc fit ut medicus et sacerdos sibi invicem auxilium possint praebere; quòd potissimum sane verificatur in theraphia quoad incontinentiae remedium.

2. *Notiones psychologicae ad recte intelligendum quo modo psychotherapia agat* (1). — Quibusnam principiis innititur psychotherapia?

Omnes consentiunt, finem praecipuum, quem quisque sibi proponere debet in efformanda conscientia sui ipsius, seu propria personalitate individua, consistere in voluntatis educatione, per quam firma stabilisque efficiatur ipsa volitiva potentia.

Psychologi est ergo inquirere media, quae ad voluntatem roborandam inserviunt, praecipue vero quoad adolescentes; et ita quidem, ut prius in illis efformetur ardens agendi propositum, et postea habitus invincibiles constituantur.

Et quoniam ad firmiter agendum aut attentione opus est, aut meditatione, clare intelligitur, quod finis, quem prae oculis habere debemus in disciplina voluntatis, est animi attentionem acquirere per conatus intensos et perseverantes. Deinceps vero, ob actuum repetitionem, habitus efformantur, qui faciliora reddunt opera, et potentius efficiunt in propriam voluntatem dominium.

At non sufficit, ut homo simpliciter aptus fiat ad conatus potentes et perseverantes peragendos: quia huiusmodi conatus anarchici ed inordinati esse possunt; necesse igitur etiam est, ut ad unum finem ordinentur.

Et revera, ut idea quaedam vel sensatio, aut affectus nobis inhaereant, quasi ad nostram pertinentia naturam, recte et iure animadvertunt psychologi, necessarias esse quasdam determinatas conditiones diuturnitatis, frequentiae, atque intimitatis.

Oportet videlicet, docet Payot, ut per lentum quidem sed constantem influxum, magis atque magis

---

(1) Cfr.: Gemelli, *Il segreto per essere felici. Considerazioni sui progressi della psicologia in rapporto alla educazione del carattere,* Milano, 1908.

progredientem, idea et affectus ad alia atque alia eousque se extendant, ut paullatim dominium propria vi et virtute super omnes actus acquirant et exerceant.

Quae veritas non parum nobis arridet eo vel magis, quod per recentiores psychologiae progressus, scientifica ratione, ad eundem finem adducimur, ad quem nos duxerant empirice quidem, sed mirabili veritatis intuitu, nostri spiritus magistri.

Ut aliqua igitur idea in nobis veluti centrum fiat, ex quo actus determinati emanent, necessarium est ideam huiusmodi diutius consistere in nostra conscientia, et in mente saepius versari.

Ita porro talis idea eam vim acquiret, ex qua profluet adsociatio idearum, cogitationum, sensuum; quae omnia ab idea illa determinabuntur, et in unum ordinem reducentur.

Hoc autem opus, quo constituitur et ordinatur quaelibet mentis et sensuum operatio, pedetentim et meditatione tranquilla atque constanti peragitur, et eodem fere modo, inquit Payot, qui deprehenditur in christallizationibus chimicis, quae doctorum animos laeta admiratione jure percellunt.

Huiusmodi quippe christallizationes habentur ex lenta molecularum depositione in sinum solutionis cuiusdam omnino imperturbatae. Hoc equidem pacto christallizatio est regularis.

Ut haec igitur omnia, quae jam dicta sunt, recapitulentur, dicendum, quod intentus finis a sana educatione voluntatis consistit in exigenda quadam attentionis voluntariae energia, quae acquiritur non solum vi et frequentia conatuum, sed etiam perspicua directione omnium cogitationum et affectionum in unum finem, necnon subordinatione nostrarum volitionum, sensuum et idearum ideae dominanti et dirigenti.

Sed quomodo ad hunc finem quis pertingere poterit? Per actionem, quae duplicis generis est: naturalis

scilicet et supernaturalis. Loqui de supernaturali in praesenti non meum esse censeo.

Haec enim cum omnibus, quae implicat, gratiam nempe, preces, usum sacramentorum, caritatis exercitium, pluraque iis inhaerentia, maximae quidem et unicae est efficaciae, sed ad theologum pertinet. Nobis vero de naturali tantum habenda est ratio, cujus finis est, firmos ac stabiles habitus morales gignere, qui vi voluntatis acquisiti nos efforment homines firmum ingenium vel characterem habentes. Sed ut melius determinemus, quae nobis agenda sint ad morales et solidos habitus contrahendos necesse est, ut ipsius habitus naturam et mechanismum consideremus ratione habita recentiorum psychologiae investigationum.

Nomine igitur *habitus* intelligitur proclivitas quaedam, repetitis actibus determinatis acquisita, ad actus analogos facile eliciendos.

Unde habitus moralis nihil aliud est, quam acquisita quaedam facilitas expedite ac delectabiliter actus morales emittendi, ex eorumdem actuum repetitione proveniens.

Sed clarius et praecisius doctrinis inhaerendo cujusdam scriptoris, Emyeu, qui hanc quaestionem nuperrime pertractavit, habitum nuncupare possumus, quemcumque modum essendi individualem operativum, naturae permanenter additum ex activitate vitali, vel etiam quodcumque vestigium ex propriis actibus in subiecto impressum; seu melius habitum vocamus modificationem notabilem inductam sensim sine sensu in subjectum ex actuum determinatorum repetitione constanti; modificationem, inquam, quae haud parvum influxum valet etiam in actus subsequentes exercere.

At quo modo habitus acquiruntur? Ut huic quaestioni satisfiat, in primis ipsa consideranda sunt facta. Et en primum factum, quod observat Emyeu: Neminem fu-

git, rem quamcumque in exordiis difficiliorem esse, seu initium (*mise en train*, uti galli aiunt), vim intensiorem exigere. Quod apparet in activitate physica, et etiam in activitate vitali.

Quaerite enim ex decertantibus in cursibus, quaerite ex iis, qui quotidie maximum laborem perficiunt, an ita res se habeat, an non. Solummodo notandum, quod si agitur de activitate vitali in ordine ad repetitionem eorumdem actuum, et non analogorum tantum, labor conscius et virium comsumptio pro *la mise en train*, gradatim in executione imminuitur, usque dum fere totaliter cesset.

Quod illustrari potest exemplo ab Emyeu adducto de machina *Gramme*, quae sibimetipsi semel pro semper sufficeret in opere officinae faciliter perficiendo, si uno eodemque momento, quo opus exequitur, hauriret etiam aquam, a qua movetur ad opus.

Ita fere quoque in humana activitate habitus, seu repetitio actuum, proclivitatem quandam inducit, qua actus eliciuntur tali facilitate, quae deerat ab initio, et quae cuidam mechanismo mirabili tribuenda esse videtur, vi cujus habitus immittit in organismum semper novas vires, quae nunquam exhaustae apparent; quin immo eo magis augentur, quo magis exercentur per actus.

Insuper: ut existit habitus actuum materialium et habitus actuum intellectualium, ita etiam habitus actuum moralium. Hic autem habitus moralis nihil aliud est, quam proclivitas quaedam inducta ex actuum moralium repetitione ad facile et delectabiliter eosdem eliciendos.

Nihil porro in nostra vita psychica amittitur; nihil a natura deperditur.

Nam etiam ipsi actus, qui nullius videntur momenti, per longum tempus repetiti habitus inamissibiles producunt. Ipsum igitur tempus, quod ad nostram dissolutionem intendit, in nostrum bonum convertere possu-

mus, si illud recte impendamus. Lex enim in psychologia imperans, lex nempe habitudinis, aut pro nobis aut contra nos a tempore statuitur. Ovans triumphis habitudo lente procedit, et miram vim actuum indefinite repetitorum patefacit.

Quare sive ab initio fuerit sive defuerit attentio circa habitudinem contractam, haec semel inducta agit, et non potest agere nisi modo suo; aufert scilicet difficultates, et defatigationi iucunditatem quandam substituit.

Haec sunt facta ex psychologia constantia. Nunc autem interest habitudinis mechanismum perpendere, ut sciamus, quomodo habitus morales in nobis efformare possimus.

Non est vero hic immorandum in consideratione causarum, quae, sub formali ratione psychologica, facilitati nostrorum actuum opponuntur, et difficultates progignunt. Haec analysis nuperrime facta est a quodam ex nostris in psychologica scientia peritis: unde nos conclusiones tantum enunciabimus, quibus evidenter appareat, quo modo habitus difficultates eliminet.

Sciendum itaque est, quod difficultas oriri potest circa actus quoque rationabiles, utiles, practicam realitatem necnon relativam facilitatem continentes. Haec vero difficultas enasci potest e duobus fontibus, quorum uterque duplex est.

Primus difficultatis fons est organismus, qui renuit agere ob inertiam, quae existit ad *mise en train*, aut contra agit ex propria vitalitate ob influxum idearum oppositarum. Secundus est ipse spiritus, qui non sese determinat ad agendum ob passiones, quae in ipso suscitatuntur et quarum singulae victoriam exoptant, vel etiam ob attentionis conatum, qui saepe saepius requiritur ad determinationis executionem.

Quanam igitur ratione habitus huiusmodi difficultates exsuperat, quae nostrae activitati opponuntur? In

primis notandum, quod habitus materiae inertiam non destruit, sed efficit, ut nobis inserviat.

Inertia quippe conservat acquisitam velocitatem, quemadmodum conservat quietem, et si cuidam actui ab initio resistit, et ita se opponit actioni transitoriae, ob idipsum non amplius conservat statum quietis, sed favet graduali efformationi alterius status habitualis.

Praeterea observandum est, hac quoque in re principium valere de natura quaerente viam minoris resistentiae, et proinde tendente ad aeque librandas partes differentes cuiusque systematis. — Hinc, animadvertit Emyeu, quaecumque sit activitas, quam nostro organismo imponimus, diversa illius elementa primo quemdam motum subeunt, sed deinceps post certum vibrationum numerum, ex noto principio Carnot, differentis tensionis vires, quae in casu agunt, fluunt et refluunt sese mutuo excipientes, usque dum perveniant tandem aliquando ad statum quemdam aequilibrii. Aliis verbis, organismus sese accommodat ad novam rerum conditionem.

Sed organismus non est pura materia: vi enim etiam vitali pollet, cui debentur manifestationes activitatis; et sicut inertia favet habitibus efformandis et difficultatibus superandis, ita vitalis huiusmodi vis sensu analogo operatur. Recentiores biologiae inquisitiones hoc confirmant. Et revera, organismus non tantum propriam adversantibus vitam conditionibus resistere nititur, sed etiam conatur convertere in propriam utilitatem has conditiones sibi nocentes; perficit nempe opus, ex quo consequitur illud quod accommodatio vitae conditionibus (*adattamento, adaptation*) dicitur: Ita, exempli gratia, cum alter organismus ab altero pervaditur, qui eo abuti secundum proprium commodum conatur, primo repellere haud gratum hospitem nititur; quod si consequi non valeat, deinceps aptat seipsum conditioni vivendi simul cum illo.

Natura equidem nobis praebet mira exempla symbiosis, seu vitae unionis, quae saepius tanta tenacia pollet, ut bini organismi una simul viventes sibi invicem necessarii tandem evadant; et si separentur, uterque intereat necesse sit. Hoc est phaenomenon scite cognitum his novissimis temporibus sub nomine *regulationis.*

Haereditas autem has novas deinceps qualitates firmat, unde difficultates facilius gradatim vincuntur.

Sed observandum etiam, quod difficultates magis a spiritu proveniunt quam ab organismo: oriuntur enim a resistentia idearum oppositarum.

At hujusmodi ideae per habitum expugnantur.

Nobis sane compertum est, iure scribit Emyeu, omnem ideam ea mensura, qua in nobis existit, evolvi, seu intendere ad sibi omnia devincienda, ad totam conscientiam dominandam ac sibi assimilandam et pro tanto ad ideas inassimilabiles et contrarias reiiciendas, necnon ad unum quoddam armonicum constituendum, synthesim, videlicet, cui omnia aptantur, et cuius ipsa idea veluti clavis habenda est.

Et scimus, praeterea, huiusmodi ideam eo fortiorem esse, et eo maiorem probabilitatem habere ad suum effectum consequendum, quo magis ipsa insita in nobis est, quo magis est associationibus referta et quo magis complexa invenitur.

Sed dum habitus actuum repetitione efformatur, ita ideam inserit et infigit, ut haec nervos, musculos atque organa paullatim permeet, novas species ex varietate experientiarum acquirat, et praesertim multis ac variis associationibus mentalibus et organicis augeatur. Proinde accidit, ut habitus, dum constabilitur, illi ideae virtutem autonomam tribuat; quae quidem in dies magis praevalet, ceterasque ideas vincit, et transit in actum; dum, e contra, ratione inversa, ideae oppositae in dies magis debilitantur.

Sed et insuper ex quadam fatali necessitate eousque pervenitur, ut habitus ad impetum sustinendum idearum oppositarum satis ex se solo fortis evadat: unde velut automatice deinceps evolvitur, in ideas conscientes dominatur, vires subconscientes dissolvit, omnia fini et actioni suae subiicit, et inservire imperat, auferendo omnem defatigationem et dolorem, idest difficultates, quae ex organismo proveniunt propter oppositionem idearum adversantium.

At nunc difficultates videamus, quae unice ex spiritu procedunt.

Spiritus in praesenti agit, ut agit organismus, et aptus est ad habitus efformandos, qui opponuntur difficultatibus, contra nostram activitatem insurgentibus.

Spiritus enim, quemadmodum organismus, reiicit omnia elementa, quae suae vitae normali non juvant; et dum in sui initio talis operatio est effectus attentionis et electionis, posthac fit habitudinis effectus.

Ut scite observat scriptor supra citatus, omnia vitae conscientis phaenomena, et praesertim attentio et electio, tendunt ad activitatem vitalem explicandam.

Cum enim vita sit quaedam assimilatio continua, et pro tanto constet assiduo opere accommodationis, cujus gratia eligit inter vitae circumstantiarum complexum, quae magis sibi sunt apta, non a materia caeca, sed ab idea semper est dirigenda.

Hoc tantum profecto est attendendum, oportere nempe, quod idea immergatur et traducatur, si ita loqui fas est, in ipsam materiam, ante quam ad actum materialem procedat et terminetur.

Traducitur vero in organismos superiores per systema nerveum.

Qua re omnis idea in certum punctum nervei systematis motionem nerveam inducit, quae actum reflexum determinat: et (quod mirum est valde) illabitur

in illos neurones (1) (*neuroni*) a quibus ipse actus, qui est ideae expressio, dependet: et tunc automatice determinatur circulus reflexus, (arcus diastalticus) et actus provocatur.

Unde intelligitur, quo modo repetitio cuiusdam ideae facilius determinet repetitionem relativae commotionis nerveae (*scarica nervosa*), necnon relativam excitationem reactionis cuiusdam reflexae (secretionis, motus): eiusdem namque phaenomeni repetitio efficit partem illam determinatam systematis nervei magis idoneam ad stimulum recipiendum, et ad excutiendam reactionem peripheriCam.

E contra, si quae idea a spiritu directe exoriatur nova, consciens, atque prorsus deliberata et definita, sed oppositionibus scatens, haud facile ab organismo recipitur, cum antea nullum actum reflexum in hunc exercuerit; quin immo in eo excitat motus contrarios propter existentes jam oppositiones, quae facilius contra agunt, quia sunt magis habituales.

Unde evidens est, quod ad hoc, ut huiusmodi idea possit ducere ad actum complendum, oportet, ut individuum conamen adhibeat insuetum, quod characteristicis reactionibus manifestatur physiologis et psycologis notissimis (2).

Sed fatendum equidem est, huiusmodi conceptionem schematicam esse; ipsaque facta longissime abesse a tanta simplicitate.

Et sane, systema nerveum non est quaedam machina; sed habet quandam elasticitatem et plasticita-

---

(1) *Neuro* est unitas systematis nervei, et constituitur a cellula nervea cum suis extensionibus et terminationibus nerveis. Confer ad rem: Gemelli, *La dottrina del neurone*, « Rivista di Fisica, Mat. e Sc. Naturali », Pisa 1906-1907.

(2) Cfr. Gemelli, *Psicologia e biologia*, Firenze, Libreria Editrice Fiorentina, 1907. — *L'esperimento in psicologia*, « Rivista di psicologia applicata », Bologna, 1908.

tem, ita ut pro variis rerum circumstantiis aliter atque aliter respondeat diversis stimulis. Insuper, viae nerveae nec segregatae nec directae ita sunt, ut oppositio seu reactio eodem et unico modo semper contingat: ideoque accidit, quod secunda experientia psychica numquam primae perfecte similis sit. Sed faciamus hypothesim, quod contrarium possit accidere.

Tunc itaque, cum commotio nervea actum determinans excitatur, fit, ut quidam specialis molecularum modus verificetur in cellula nervea atque in colloidibus (*sostanze colloidali*) nerveam fibram constituentibus. Supponamus praeterea, quod exurgat stimulus priori haud dissimilis, et, sicut primus, determinet commotionem nerveam in certa neuronum serie. Ut iste secundus stimulus nerveam commotionem determinet aequalem priori, et inde oppositionem (reactionem) mediante arcu diastaltico (*arco diastaltico*) profecto minori intensitate in stimulo opus erit. Atque ita ulterius quilibet novus stimulus semper faciliorem viam parabit stimulo subsequenti, et postquam in homine variae sectiones systematis nervei maximam determinationem consequutae fuerint, intelligitur, quo modo speciales stimuli habituales, licet complexi, nec satis percepti, faciliter reactionem determinent.

Ut iure observat Emyeu, quod de quolibet neurone affirmatur, adfirmandum est etiam de cunctis cellulis illis, quarum summa constituit systema nervеum cuiusque individui, seu de omnibus centris nerveis. Quin immo, cum centra nervea superiora sibi subjecta habeant determinata centra inferiora, fit, ut, nonnullis repetitis actibus, stimulus excitetur non per centra superiora sed per centra inferiora.

Concludendum igitur est, conatum necessarium adigentem systema nerveum usque ad completionem actus iugiter diminui per quemcumque novum actum et eo magis, quo maior fit memoria nervea, seu quo magis

augetur facilitas illa, qua determinata quaedam sectio nervei systematis ad suas operationes movetur.

Unde si huiusmodi actus cum quadam continuitate repetantur, absque dubio continget, quod etiam idea vix percepta sufficiat ad commovendam complexam reactionem nerveam. Cum vero quis ad talem statum pervenerit, ad perficiendum actum non erit ei opus amplius eligere, aut attentionem praestare difficultatibus. Quin immo quoddam supervenit momentum, quo conscientia neque attendit ad actum et quasi disparet. Recentiora studia de attentione huiusmodi facta et leges in lucem protulerunt.

Intellegitur itaque, quo modo actus olim difficilis ita facilis evadat, ut characteres induat actus reflexi. Excitationi enim respondet automatice quidam mechanismus movens ad actum, quem sola conscientia apprehendit. Atque hoc sane modo difficultates arcentur, ac praesertim evanescit labor et repugnantia ad ita determinate agendum, necnon conflictus cum aliis ideis auferetur, quae, uti vidimus, maximas difficultates constituunt quoad actum eliciendum, et habitum efformandum.

Sed fateri tamen oportet, quod raro admodum habitus tam potens realiter fit, ut ex eo veluti secunda quaedam natura oriatur.

At animadvertere oportet, quod haec omnia ad ordinem schematicum reducere satius duximus, ut facilius intelligatur, quo modo huiusmodi processus physio-psychologicus, qui est habitudinis fundamentum, perficiatur.

Sed aliam quoque observationem referre oportet. Scribit enim Emyeu, quod habitus non solum tribuit facilitatem agendi, sed etiam aptitudinem ad agendum. Actus scilicet ob repetitionem non tantum fit facilior, sed etiam perfectior, praecisor, celerior.

Quod sane intellegitur, si mechanismum physiologicum et psychologicum superius indicatum, ad mentem revocemus. Et revera ex actuum repetitione habetur

maior atque major specificatio, necnon hypertrophia quaedam functionalis systematum neuronalium, (*neuroni*) quae ideae illae fixae obediunt. Insuper constituuntur illae quaedam viae, quas neurologi breves (*vie brevi*) appellant, quibus inducitur aliquid a curto circuitu haud dissimile.

Sed et sub ratione quoque psychologica habemus, quod per actuum repetitionem idea imperat solummodo neuronibus directe excitatis, et producit maiorem facilitatem ad efformandos processus associationum idearum; aliis verbis, appellat alias ideas et alios neurones, ut cooperentur ad actus perfectionem.

Studia denique et observationes quoad tempus psychologicum reactionis nobis praebent argumentum de huiusmodi intimis processibus.

Cum igitur ita esse mechanismum actionis quoad habitum inspexerimus, videndum nunc est quamnam partem in educatione voluntatis debeat habere ipsa intelligentia in ordine ad rationem psychotherapicam, quae adhibetur in solidis efformandis habitibus moralibus.

Ut constat, voluntas est quaedam activitas reflexa opposita instinctui, qui est inconsciens activitas. Cum itaque opus voluntatis sit essentialiter opus reflexionis, intelligitur necessarium esse cognoscere modum, quo fit reflexio; idque ad intelligentiam pertinet. Nunc agendum igitur est de reflexione, quam meditativam appellavimus.

Per meditativam itaque reflexionem intelligimus cum Payot statum quemdam particularem, quem distinguere sedulo oportet a statibus affinibus.

Et in primis maxime necessaria distinctio, quae quidem saepe negligitur, admittenda est inter reflexionem meditativam et reflexionem, a gallis nuncupatam *rêverie*, — et praesertim *rêverie* sentimentalem, quam tamquam inimicam oppugnare potissime et fortiter de-

bemus, ut nosmetipros rite regere et gubernare possimus. In *rêverie* enim attentio dormitat, ideaeque et sensus molliter in conscientia ludunt, ac inter se fortuito connectuntur efformando associationes idearum, quae saepe saepius modo prorsus improviso producuntur.

In reflexione vero meditativa nihil inconsiderate vel coeco quodam casu contingit.

Sed adhuc cum eodem scriptore distinguenda est reflexio meditativa a studio, quo quisque tendit ad conceptus claros et praecisos acquirendos. In studio enim nihil aliud quaerimus, nisi cognitionibus imbui: dum reflexionis meditativae finis est ad motus odii aut amoris animam provocare.

Videbimus infra aliam differentiam quae inter studium et reflexionem meditativam intercedit. Nunc tantum interest attendere, quod finis a nobis intentus in meditativa reflexione est patienter inquirere motiva intensos excitantia actus amoris aut odii, inducere inter ideas et ideas, inter affectus et affectus, inter ideas et affectus nexus et applicationes, quas utiles iudicamus, aut repellere, quae nocent rationi educationis nostrae voluntatis.

Reflexio meditativa consistit insuper in legibus attentionis et memoriae ita applicandis, ut deleamus vel imprimamus in conscientia, quod utile judicamus delere aut imprimere.

Oportet nempe instillare in animam nostram ideas et affectus proficuos, atque ideas abstractas transformare in affectionem sensibilem, reali vita pollentem.

Tunc denique reflexio meditativa suum finem attinget, cum potentes motus affectuum aut fortes repulsiones excitaverit.

Ad rem perlucidam comparationem ex scientia chimica affert Payot. Si in liquidum quoddam, inquit, continens in solutione nonnullas substantias usque ad gradum saturationis, immergitur crystallus, e profundo

solutionis moleculae eiusdem naturae, ac crystallus, mira attractione moventur, ipsique paullatim adhaerent et coniunguntur. Crystallus autem gradatim augetur; et si quies per hebdomadas et menses perduret, crystalli obtinentur volumine et forma mirabiles. At si solutio turbetur, depositum irregulariter fit, et crystallus parvus habetur.

In psychologia idem ferme accidit. Si enim status aliquis psychologicus quiete et tranquille in conscientia servetur, sensim sine sensu, nescio qua affinitate, sed non minus arcana quam altera, status omnes intellectivi et affectivi eiusdem naturae ad ipsum conveniunt et cum eo copulantur.

Et si huiusmodi status diutius conservetur, ipse potest sibi adsciscere et ordinare summam quamdam potentiae, et acquirere modo quodam decisivo dominium pene absolutum in conscientiam, ita ut quidquid eidem non coordinetur, omnino rejiciat.

Nonnullae vero ideae mire foecundae sunt in his processibus efformandis: sed potentissimae profecto ideae religiosae jure censentur.

At quam rari hodie sunt homines, qui in se ipsis talem quietem foveant, mirabilem hunc crystallizationis processum perficientem: ideoque fit, ut plerique homines se ipsos nullatenus noscant, et idcirco nullum in semetipsos valeant exercere dominium.

Qua re huiusmodi homines vitam agunt ab exterioribus rebus iactati, inepti quidem ad resistendum conditionibus, in quibus versantur quotidie, et potissime ad semetipsos dominandos.

Sed homo e contra, qui sua secum ipse recolit, et in se reflectit, statim ac sibi persuasit, medium magis idoneum ad suum finem consequendum esse, ut suae voluntati dominetur, totus incumbit ad hanc voluntatem corroborandam; procedit quippe ad selectionem impressionum, quae in ipso excitantur, necnon idearum et af-

fectuum, qui in ipso exoriuntur; et dum ex una parte idoneas colligit et adhibet potentias ad integrum producendum effectum, ex altera vero ideas et affectus sibi nocentes repellit. Hac itaque agendi ratione felix habetur exitus, cujus secretum consistit in hoc, quod quis sciat utilitatem retrahere ex omnibus illis, quae ad finem humanae vitae conducunt.

Sed nunc attentionem lectoris iterum revocamus ad illam considerationem, quod nempe etiam in praesenti argumento psychologia nos duxit ad eandem conclusionem, ad quam nostri spirituales magistri jamdiu pervenerunt, cum mire introspexerint, quomodo nostra activitas psychica evolvatur.

Nemo igitur non intelligit, quanta vi polleat in educatione voluntatis reflexio meditativa.

Optime ergo scribebat P. Gillet O. P.: « Constanti vestra in vos ipsos reflexione excitabitis in vobis nobiles passiones, generosos sensus, ideasque bonis et utilibus rebus foecundas.

Hos insuper sensus satagite, ut ideis christianis associetis; vosmetipsos noscentes, didiceritis, quae sint necessitates vestrae, quibus mediis opus sit ad nobilitatem spiritus consectandam. Dicam paucis: Futuri eritis magnanimi illi viri scientes, quo progredi oporteat, ubi sit veritas, quaeque media aptiora in promptu sint ad verum adipiscendum. Quod si vobis praeterea colluceat gratia perfectionis christianae, eos habitus supernaturales solidare valebitis, quae firmum in vobis characterem efformabunt christianum ».

3. *Efficacia, mechanismus et methodi psychotherapiae.* — Nunc autem praestat videre, quae sint indicationes et contra-indicationes phychoterapiae.

Limites actionis psychotherapiae constituuntur a gradu alterationis, quae adest in centris psychicis su-

perioribus. Ita, verbi gratia, in veras formas amentiae, in quibus infirmus tamquam reales sibi repraesentat imagines atque ideas ex hallucinatione vel delirio causatas, psychotherapia nihil agere valet.

Sed ejus efficax revera actio habetur in formis illis morbosis, quas Dubois appellat psychoneurosim, in quibus vera reperitur debilitatio psychica, seu debilitatio potentiae volitivae, uti, exempli gratia, in hysterismo, in neurasthenia, in levioribus formis hypocondriae, etc.

Hisce inclusa limitibus psychotherapia tendit ad excolendam, evolvendam, augendam et perficiendam voluntatem seu dominium, unitatem moralem atque personalitatem normalem et completam sui ipsius.

Sed quid est mechanismus actionis, et quae sunt methodi psychotherapiae? — Actio praecipua psychotherapiae est actio psychica in ideam aegrotantis. Nihil quidem novi in hac re ; neminem enim fugit potentia, qua in cura infirmorum pollet influxus moralis. Hoc sane ne cogitantes quidem plures perfruuntur medici atque aegroti.

Verbum quippe aliquod vel gestus saepe saepius maiorem effectum sortiuntur, quam medicina. Quoties enim infirmi dicunt : « Volo medicum meum, quia in ipso est spes et fiducia mea », nihil aliud exprimunt, nisi influxum moralem, quem medicus in suum exercet infirmum.

Quidam autem docent, quod psychotherapia consistit essentialiter in educatione voluntatis seu potius rationis.

Possumus equidem hanc amplecti definitionem Dubois, dummodo tamen per disciplinam rationalem voluntatis illam intelligamus, quae adhibetur ad finem corrigendi, evolvendi, solidandi voluntatem agendo in intelligentiam mediante ratiocinatione. Nequimus enim libero valedicere arbitrio, ut determinismo assentiamur.

Volitio quippe non necessario determinatur ab attractione aut repulsione, quae cuilibet ideae semper inhaerent.

Nos igitur retinemus quod psychotherapia sit educatio voluntatis per medium ratiocinationis.

In praxi vero ad disciplinam voluntatis adhibentur media valde simplicia. Principium quidem generale in hac disciplina est, ut lente procedatur, nec exigatur ab infirmo conatus, quem ille non valeat perficere; sed ut requiratur ab initio parvus dumtaxat nisus, qui dein quotidie possit augeri.

Sed videamus aliquod factum particulare. Nonnulli medici aegrotos sibi commissos excitant ad ter, mane, repetendos quotidie tres quosdam motus determinatos brachii, postea sex, deinde duodecim, tum ad totidem complendos cum artubus inferioribus. In his vero motibus aegroto praescribendis, non tam utilitas exercitii muscularis attenditur, quam conatus voluntatis, qui ab aegroto, eiusdem libero consensu, obtinetur. Ita quoque possunt mitti istiusmodi infirmi longe a locis habitatis ad se exercendos in cursibus, qui praecisis et gradualibus regulis temperati, ordinatam efficiunt circulationem sanguinis, cordis pulsationem, et augent robur musculorum. In primis tamen subdenda est voluntas gymnico cuidam exercitio. Brevi itaque tempore, mense circiter uno, infirmus validus redditur ad currendum viginti minutis, cum prius sese movere non posset, vel se existimaret ad minimam quidem deambulationem impotentem.

Simili modo voluntas potest exerceri innumeris aliis mediis analogis, exhibitis a diversis conditionibus vitae, aetatis, aptitudinum, etc. At, prout possibile est, infirmus ad opus quoddam utile agendum inducatur, cuius et ipse possit facile metiri progressum et cujus praesertim natura talis sit, quae magnum virium dispendium non expostulet.

§ 2. — **Psychotherapia incontinentiae et praesertim masturbationis.**

Masturbatio quam maxime grassatur. Satis superque huiusmodi vitium in omnibus humanis ordinibus et aetatibus victimas metit. Facile autem intelligitur, non esse hic loquendum de cura et remediis huiusmodi vitii in casibus, in quibus habitus nondum profunde est radicatus, et subjacet adhuc dominio voluntatis. Sed tantummodo, de casibus illis loquemur, in quibus habitus inveteratus jam est, seu de casibus, in quibus homines curandos habemus, qui non sunt amplius domini propriae voluntatis. In hujusmodi autem habitudinario vel minima causa sufficit ad excitandum sensum venereum, a quo impulsus ille resistere nescit; et brevissimo tempore luctae cedit, quae insurgit inter moralia officia, quibus se novit teneri, et effroenatum appetitum voluptatis. Masturbatores enim inveterati maxima laborant voluntatis aegritudine, seu habendi sunt, ut ita dicam, *abulici* (1).

Hinc intellegitur, quanta efficacia praedita esse debeat psychotherapia in his casibus curandis.

Nos itaque methodum hic describimus, quam ut plurimum sequimur, et quae insperatos effectus pluries attulit nobis.

Prima igitur actio, quam exercere possumus in istiusmodi infirmos, dirigitur ad eorum voluntatem mediante aut conversatione, aut ratiocinatione, ostendendo re et factis, quod castitas quae, olim possibilis ipsis erat, nunc quoque ipsis perfecte possibilis est. Moneatur insuper infirmus, ut in lectionibus, laboribus, amicitiis, opportune selectis, versetur.

At huiusmodi methodus saepius inefficax esse putatur. Quomodo enim potest voluntas status quosdam psy-

(1) Pro demonstratione hujus propositionis vide caput VII.

chicos modificare, qui ab ipsa non excitantur, nec ipsi subiiciuntur?

Nam, uti inferius demonstrabimus, ideae sexuales in masturbatore exoriuntur ex multis ac quam maxime variis obiectis, ne illis quidem exceptis, quae natura sua ad excitationem sexualem gignendam nullatenus ordinantur.

Quare intellegitur, cur masturbator ubique videat obiecta ad explenda sua desideria penitus apta, in quavis muliere amantem intueatur, et omne verbum sive lectum sive auditum sufficiat ad venereum spasmum in ipso excitandum. Unde certo quodam sensu non potest is efficere, quin huiusmodi scurrilia cogitet, et mente revolvat; quin lubricas imagines videat; quin mulierem quamlibet tamquam amantem sibi effingat.

Nihil iuvat ergo dicere his individuis: « Ne amplius cogitaveritis res turpes ». — « Ne in speciebus sexualibus, quae in vobis insurgunt, mente sistatis ».

Masturbator enim habitualis vobis respondebit: « Putatisne vos igitur, me haec consulto facere? Satis superque contentus essem, si hisce imaginibus numquam deturbarer, si in conspectu mulieris numquam hac sensatione speciali afficerer ». Atque hic masturbator verum de se dicit, et, si ita loqui fas est, iure quodam (1).

---

(1) Doctrina nostra de libero arbitrio nullatenus prohibet, quominus haec admittamus. Re enim vera libertas, qua fruimur, non est absoluta; semper enim cogimur ad eligendum inter objecta particularia, sive a sensibus exhibita, sive ab intelligentia oblata. Si igitur inter hos fines necessario determinamur, nobis remanet libera electio inter diversa mobilia et diversa actionis motiva: Unde vetus illud effatum: « *Video meliora proboque, deteriora sequor* », semper instat ut vera expressio nostrae voluntatis debilis sane, sed liberae in mediorum electione, dummodo tamen libere rationali voluntate uti possimus adversus sensibilitatis mobilia. Persuasio enim sine voluntate et voluntate quidem libera sterilis semper manebit.

In hisce autem casibus non potest agi nisi psychice et indirecte. En duo principia, in quibus actio psychica indirecta constituitur:

1. Potest excitari idea quaedam, sensatio, emotio, status quidam psychicus habitualiter involuntarius, inducendo in subiectum actum respondentem huic ideae, sensationi, emotioni.

Constat enim, ex gr., quod mimicae quoque expressiones tristitiae, formidinis, etc., status quosdam respondentes determinant.

2. Cum volumus ideam quandam et sensationem in nobis determinare, evolvere, infigere, solidare, illos perficere voluntarie actus debemus, qui respondeant huiusmodi statui psychico, vel alios, qui ex eodem statu psychico oriantur, vel eidem inserviant.

Ita enim attentione, analysi, ratiocinio, verbis et scriptis hunc statum prosequimur, eidemque actus nostros conformamus, et prout possibile est, totam vitam nostram voluntariam integre subordinamus. Reflexione meditativa, inquit Payot, possumus vi et virtute ideam, cui cupimus et volumus victoriam praestare, ita in nobis imprimere, ut eadem sit summa et principium novae directionis mentis.

E contra vero, si ideam quandam vel sensationem debilitare, imminuere, delere volumus, debemus numquam de ea loqui, numquam discutere, nullam conditionem (fasim) nostrae vitae ei subdere, eam dedignari, parvi pendere, agere semper et ubique ac si nequaquam existeret.

Ex his principiis sequuntur regulae tenendae quoad masturbatores, et generatim quoad omnes, qui magnam proclivitatem seu inclinationem ad vitam sexualem experiuntur:

1. In primis huiusmodi homines adsuescant numquam *voluntarie* attentionem praestare ideis, vel imaginibus, rationem sexualem praeseferentibus. Nunquam

verbis aut scriptis narrent, nec ad analysim revocent sensationes, quibus commoventur, et de his ne medicis quidem rationem reddant.

Medicus ipse vero caveat, ne incidat in laqueum, a quo debet suum aegrotum praeservare: proinde ne sermocinetur cum eo de eius conturbationibus, de pollutionibus et obsessionibus sexualibus, nec de eius sensationibus relate ad reproductionem etc. Istiusmodi res discutere idem esset ac eas plurimi facere, et pro tanto eas roborare et magis in spiritum infigere illius subiecti, a quo debent expungi.

Insuper, non tantum obtinendum est a curae psychotherapicae subiecto, ut voluntarie renuat praestare attentionem ideis et imaginibus sexualibus, sed etiam ut animo libenti et forti hoc exsequatur.

Necesse scilicet videtur, quod subiectum non solum curae consentiat, sed firma voluntate contendat, ut transformetur; qua re praescriptiones psychicas, quae eidem imponantur, iucundo et laeto animo executione perficiat.

2. Deinde disponendus est infirmus, ne suis ideis et sensationibus vitae sexualis amplius attendat. Quoties in se furere spasmum venereum sentit, nullam ad ipsum attentionem praestet ob quamlibet rationem, ne illa quidem excepta de ipso dolendi vel tristanti.

Neve faciat proprio marte curas physicas, nec pharmaca quaelibet sumat, ut attenuet vel extinguat proclivitatem huiusmodi instinctus sexualis. Medicus solus praescribere debet rationem vivendi; aegrotus vero stricte observet omnia vel minima. In regulis vitae praecipiendis videat medicus, ne formulis vagis et indeterminatis utatur, ex. gr., dicendo: « distractione opus est, quiete intellectuali, etc. ». Qui enim non vult, neque distrahitur, neque quiescit. Unde medicus praescribere debet, quomodo sit mente divertendum, quibus ne-

gotiis operam impendere oporteat, quae et quanta quies sit sumenda et quomodo. In hac rerum determinatione meminerit medicus quod vita nostra communiter in iisdem formis negotiorum versatur; ideoque seligat actiones et negotia, quae subiecto curando praeoccupationes continuas non afferant.

3. Cum tota psychotherapia ipsi subiecti personalitati et voluntati intelligenti innitatur, ad bonos effectus consequendos finis gravitatem ostendere oportet. Et quoniam mansturbatores et generatim omnes, qui vita sexuali abutuntur, vitam fastidiunt, et sunt diffidentes, faciles ad tristitiam, necnon proni ad depressionem quandam moralem patiendam, et ad seipsos segregandos a ceteris hominibus, oportet eos suadere, vitam finem habere, ad quem tendere ipsi quoque tenentur, necnon ad missionem propriam complendam adstringi.

Homo enim, qui vitae finem non percipit, nec ad vitam vivendam nullum sustinere vult sacrificium, qui vespere somno opprimitur, quin cogitet et firme statuat, quid crastina die facturus sit, una tantum satisfactione contentus, quae ex momentanea voluptate provenit, talis, inquam, homo tanta depressione morali afficitur, ut ei nulla cura bonum effectum sit allatura.

Medicus itaque debet in his miserrimis hominibus excitare ideas de officiis adimplendis, de sacrificio, de sociabilitate, etc., seu ideas omnes, quae arcere possunt ideas sexuales obsidentes.

Meminisse autem oportet, quod qui vita sexuali abutuntur, continuo ruminant, et aliquando etiam incoscienter, ideas de sexualibus relationibus, et imagines revocant actionum lubricarum, in iisque morosa complacentia delectantur. His quippe totum id quod in vita quotidiana accidit, ansam et occasionem praebet ad huiusmodi recordationes et imagines revocandas.

Sed hujusmodi agendi ratio cessare equidem debet: ideoque absolute in primis est necessarium non amplius praeterita revocare.

Insuper, istiusmodi homines plerumque timidos adhibuerunt conatus ad se liberandos a pravis habitibus; atque eorundem conatuum debilitas prohibuit, quominus effectus obtineretur. Qua re fiducia destituti, conditionem suam inexorabili fato subjectam iudicant, et qualibet in propriis viribus spe destituuntur, licet pondus vitiosi habitus sentiant. Sunt equidem infelicissimi pro quibus vita nihil significat. Occurrerunt mihi haud infrequenter masturbatores, credentes quidem in religionem christianam, qui persuasum habebant, nullam amplius spem pro salute animae sibi futuram esse, et in tantam debilitatem moralem prolapsi, ut nullam vim adhibere valuerint ad tentationes repellendas: erant uno verbo miserrimi omnibus diffidentes.

In his casibus necesse est in primis et ante omnia fiduciam restituere in eorum vires: ostendere munia et bona, quae ipsi quoque in hoc mundo peragere et consequi possunt.

Victoriae primae partiales, vel minimae, valde ipsis profuturae erunt.

Sed quam maxime etiam iuvat considerare, quaenam vitae conditiones subiectum ambiant: nonnullis quippe in casibus necessarium erit illud eripere ex funestissimo earum influxu.

Hisce regulis obsecundans ego curam psychotherapicam efficacissimam pro masturbatoribus deprehendi, et effectus expertus sum insperatos. Quare huiusmodi curam quam maxime consulo; itemque moneo, ut regulae exhibitae vel minimae ad unguem observentur: secus probabilius effectus non obtinebitur. Via insectanda longa quidem et difficilis est; ideoque debilitari, contrahique animo in ipsis exordiis omnino nefas est.

Observandum denique est, quod hujusmodi curae psychotherapicae coniungenda est cura physica et medicamentorum subministratio, de quibus in duobus capitibus praecedentibus loquuti sumus.

Aedificium vero huiusmodi nostrae curae, ex scientia depromptae, ab usu mediorum supernaturalium, quae nostra religio immaculata nobis iugiter offert, coronabitur.

Caput Septimum

De sexualibus aberrationibus earumque cura (1).

Introductio. — Huius tractationis gravitas pro theologo. — Sexuales aberrationes, actuumque sexualium imputabilitas. — Sexuales perversiones. — Istarum specifica distinctio. — Huius distinctionis in morali theologia momentum.

1. *De sexuali physio-pathologia* — Sexuales characteres primarii et secundari, somatici et psychici. — Genitalis apparatus evolutio in ordine ad characteris sexualis evolutionem. — Haereditas et sexuales aberrationes. — Habitudinis influxus. — Feticismus. — Anomaliae sexuales reflexae. — Sexualis paradoxismus. — Sexualis hyperestesia.
2. *De onanismo.* — Onanismus in viro. — In femina. — Onanistae ex habitudine. — Onanistae ex morbosis caussis. — Harum formarum prognosis — Cura.
3. *De homo-sexualitate.* — Homo-sexualitatis typi. — In viro et in femina differentiae. — Somatici et psychici characteres in homo-sexualibus. — Homo-sexualitatis natura. — Eius decursus. — Diagnosis et cura.
4. *De sexualibus pervérsionibus, quarum obiectum sexus diversitas extat.* — Feticismus pathologicus — masochismus — sadismus — exibitionismus — paedophilia.
5. *Conclusio.* — Huius tractationis gravitas prae morali theologia ad actuum imputabilitatem determinandam.

Necessarium ducimus nonnulla heic, tanquam appendicem, breviter addere circa formam sexualium aberrationum et circa curam, cui subiici debent ii, qui huiusmodi morbis sunt affecti.

Praecipua vero ratio, quae nos ad hanc tractationem impellit, quam silentio praeterire gratius quidem

---

(1) Cfr. ad rem: Cap. 2, par. 4.

foret tam scribenti quam legentibus, ex necessitate oritur, quam habent confessarii talem possidendi de hac re instructionem, ut et naturam cognoscant harum manifestationum, et opportune medica remedia poenitentibus consulere queant. Quivis enim consideret quam ingens hodie sit numerus eorum, qui moribus corrupti sunt, et quomodo in societate actuali, ob conditiones ab ipsa exhibitas, quotidie corruptio ista augeatur, praesertim penes nonnullas regiones, quemadmodum nuperrime nefaria gesta dictuque turpia abunde demonstrarunt, confiteri debet, necessario talia a confessariis esse scienda ut in opere santo moralis instaurationis magis atque magis efficaciter adlaborent.

Sed et alia suppetit ratio, ob quam rem salebrosam aggredimur: omnes enim sexualis perversionis actus per longum tempus et usque ad nostram aetatem a sociologis, ab ethicae scriptoribus, a philosophis, a theologis, et a iurisperitis, tamquam exclusive mali et vitiosi saltem externe reputati fuere, adeo ut semper tamquam criminosi habiti sint, qui eos perpetraverant; unde sodomia capitis poena quandoque etiam mulctata fuit. Post recentiores tantummodo psychopathologiae profectus huiusmodi conceptio proprium valorem amisit, et, uti scribit Kraft-Ebing, circa saeculi elapsi dimidium, medici, sepositis quoad huiusmodi facta circumspectionibus veritati et justitiae nullatenus consonis, inter obiecta suarum disquitionum huiusmodi sexualis vitae perversiones admittere non dubitarunt; et, adhibitis studiis, in lucem protulerunt veritatem omni dignam consideratione, quod quaedam nempe ex perversionibus istis sunt pathologicae naturae, id est, consequuntur tanquam effectus ex alterationibus vel deviationibus ipsius psychicae aut physicae evolutionis, ideoque ad eas quoque scientias spectare docuerunt, quae pathologiam nervei systematis aut humanam psychen pertractant, ad neuropathologiam scilicet et psychiatriam; licet etiam multoties aberrationes istae

similes sint perversionibus illis, quae ex vitiosa habitudine realiter profluunt.

Ipsi neurologi itaque et psychiatrae de veritatis et justitiae causa benemeriti sunt, demostrando has perversiones alterationibus quandoque deberi vel nervei systematis vel constitutionis psychicae, et pro tanto huiusmodi manifestationes voluntatis imperio subtrahi, ipsique proinde imputabilitati. Quod tamen non significat, omnes sexuales aberrationes, sanae ethices doctrinis contrarias, effectus semper et solummodo esse cuiusdam inconscientis lusus organorum nervei systematis aut psychicae activitatis. Hoc enim est determinandum: quinam nempe sint limites seu imputabilitatis termini in sphaera activitatis sexualis (1).

Insuper, uti praefatus auctor observat — cui merito praecipue debetur maior huiusmodi studiis habita impulsio — gravis adhuc necessitas urget, quod societas, idest legislator, sicuti etiam iudex et theologus rationem habeant de factis, quae a medicis explorata sunt, ne innocentes cum noxiis, vel moraliter corrupti cum iis qui morbosa aliqua anomalia afficiuntur, una simul confundantur. Quisque itaque magnum analysis momentum, quam scientia medica nobis suppeditat, facile percipiet.

Variae enim adsunt quaestiones, quae a theologo solvendae sunt, quum sibi huiusmodi casus objiciuntur; inter alias autem frequentior occurrit quaestio, utrum in hoc vel illo casu de morbosa aliqua perversione, an de vitio agatur, et consequenter utrum poenitens de facto

---

(1) Haud necessarium nobis esse videtur super hoc insistere, atque demonstrare, qua ratione nos minime conclusionibus subscribimus illius scholae anthropologicae, quae a C. Lombroso suisque asseclis nuncupatur. Cf. ad rem: Gemelli. *Le dottrine moderne della delinquenza. Critica delle moderne teorie positiviste*, (Firenze, 1908), ubi quaestio fuse versatur; et aliud nostrum opus: Cesare Lombroso (Firenze, 1910).

sibi imputato respondere debeat necne; interdum autem alia quaestio, utrum qui perversione morbosa afficitur, sanari possit vel secus, ideoque utrum, necne matrimonium contrahere possit. In omnibus hisce casibus oportet, confessarium aegrotum ad medicum remittere, et pro eorum diversitate ad medicum neurologum aut medicum psychiatram.

Praesens igitur summaria expositio saltem ad ipsum confessarium de huiusmodi necessitate admonendum iuvabit.

In praesentis itaque questionis statu exponendo haud opportunum putamus in variis anomaliis describendis immorandum esse (1); quoad hoc enim lectorem remittimus ad communia medicinae pastoralis manualia, aut ad opera illa, in quibus ex professo singulae clinicae formae diversarum enormitatum describuntur (2). Nostra enim interest, spectata natura huius tractationis, horum morborum notiones exponere, quas hodie scientiae ope compertas habemus, curamque adhibendam tradere. Quoad vero eorundem morborum classificationem et nomenclaturam sufficiat quod diximus cap. II.

---

(1) Vide ad rem harum anomaliarum classificationem. Cfr.: Cap. 2, p. 4, *De sexuali pathologia.*

(2) Praeter opera, de quibus in bibliographia, huic disquisitioni praemissa, mentio fit, cf.; praecipue: Kraft-Ebing, *Psychopathia sexualis* mit besond. Berücksichtigung der Konträren Sexualempfind., 13ª Aufl. herausg. v. dr. A. Fuchs, Stuttgart 1907; Moll, *Die conträre Sexualempfindungen,* 1891 (utrumque opus etiam italice versum); Moll, *Untersuchungen über die Libido sexualis,* 1897; Chevalier, *Invertion sexuelle,* 1893; Garnier, *L'onanisme seul et à deux,* Paris; Havelock Ellis, *Man und Woman; A study of human secondary sexual caracters,* London, 1904 (4ª ediz,); *Psychology of Sex,* Philadelphia, 1900; — Quoad curam cf. Schrenk-Notzing; *Die Suggestionstherapie bei krankheiten Erscheinungen des Geschlechtssinnes,* 1899; Fuchs, *Die Therapie der anomalen vita sexualis,* 1899; cf. etiam psychiatriae et medicinae legalis et pastoralis manualia, necnon periodicos commentarios in bibliographia recensitos.

In primis igitur recolendum est, quod toties *sexualis* habetur *perversio*, quoties sexualis instinctus ob alteratam constitutionem anatomicam, psychologicam, aut psychicam modo abnormi satisfactionem intendit, sive sese ferendo in obiectum vel personas, a quibus normalis refugit instinctus, sive utendo ad hujusmodi satisfactionem sibi procurandam mediis a naturalibus et communibus diversis. Talis porro descriptio hanc praesefert utilitatem, quod omnes nempe sexuales perversiones a masturbatione usque ad graviores aberrationes, puta masochismum, necrophiliam, etc. includit.

Ex hoc tamen minime concludendum est, qualemcumque irregularitatem sive in actibus, sive in eroticis desideriis perversionis sexualis infallibile signum constituere : adsunt enim ipsius sensus moralis aberrationes quaedam partiales tantum et transitoriae, quae veram sexualis anomaliae rationem non induunt. Ideoque in hac categoria non illos omnes includere oportet, in quorum phantasia praeter modum eroticae et singulares exoriuntur imagines ; nec etiam seriem eorum, qui moribus sunt perditissimi, vel simpliciter hyperincitabiles.—Quod enim proprie constituit characterem specificum perversionis sexualis est perseverantia aberrationis in sexualis instinctus satisfactione procuranda. In sexuali quippe perversione *stricte tali* habetur directio constanter et systematice opposita generativae functioni, ita ut naturalis copula difficilis, imo repugnans et omnino impossibilis reddatur ob psychicam quamdam impotentiam classicam; dum e contra faciles et delectabiles evadunt contactus anormales.

Hinc, ut nonnulla afferamus exempla, minime perversus, sensu clinico, censeri debet adolescens, qui pertinaciter masturbationi indulget; at hic vere perversus fit cum veneri explendae tali modo intendit, ut progredientibus annis haud ei possibile contingat sexuali appetitui satisfacere, quin hoc vel alio simili anormali modo agat. Intellectu itaque facile est, quae-

nam consecutiones habeantur ex huiusmodi conceptu; in priori enim casu, ut patet, agitur de individuo corrupto, poena propterea digno, ideoque emendabili; in altero vero casu agitur de infelici quodam, qui de actibus suis respondere nequit, quemque nos ad medicum remittere debemus, ut hic inquirat, num huiusmodi sexualis aberratio debeatur degenerationi alicui psychopathicae acquisitae aut haereditariae, et consequenter eum spectare et curare oporteat tamquam aegrotum.

Adhuc, ut aliud typicum afferamus exemplum, haud perversi habendi sunt homines illi rudes, satyrorum fere more viventes, qui ob vividam exigentiam satisfaciendi instinctui, lumine et froeno nonnihil destituti ipsius facultatis psychicae superioris, deficientibus aliis mediis, inadaequata prosequuntur; licet enim perversio quidem transitoria in his habeatur, isti tamen notionem sat claram de regula actus sexualis, et de patrata turpitudine servant.

E contra, verum propriumque perversionis sexualis factum habebimus, quum, ut recte observat Tanzi, « aberratio una cum praecoci intensaque sexualis instinctus excitatione firmitatem acquirit, viamque praecludit per totum vitae tempus mentis habitibus, et idcirco omnibus iis actibus materialibus, qui ad normalem instinctum sexualem requiruntur ». Quando igitur huiusmodi factum nobis occurrit, totam et integram individui vitam considerare oportet, eamque jam anteactam distincte scrutari, ut exploretur, num subiectum hoc victima sit sui abnormis organismi nervei et psychici. Tunc enim vitam investigando illius, qui exhibitionismo vel masturbationi se dedit, determinare datum erit psychicam degenerationem haereditate acceptam, aut exsistentiam alicuius morbi psychici vel physici, qui eum adigere potuit ad obiective turpes et immorales actus explendos.

Existentiam vero determinare harum sexualis instinctus alterationem objectum efformat proprium, illudque gravissimum psychiatricae scientiae; sed antequam fundamentalia eius lineamenta exponantur, nobis revocare placet nonnullas potissimas notiones, quae referuntur ad ea, quae supra exposuimus in capitulo primo de instinctu sexuali, quaeque adaequatum exhibent valorem, quo pollent indaginis psychiatricae conclusiones.

§ 1. — De sexuali physiopathologia.

Iam diximus, (1) sexualem vitam in sui evolutione intime necti evolutioni glandularum sexualium (testiculi, ovaria) et certa quadam huius evolutionis periodo sexuales characteres manifestari, qui primarii vel secundarii esse queunt.

Primarii dicuntur ii, qui generationis apparatum respiciunt: et cum ad quamdam maturitatem isti pervenerint, sexuales characteres *secundarii* manifestantur, qui *somatici* (pili, corporis forma, etc.) et *psychici* dicuntur.

Insuper docuimus, certa quadam vitae intrauterinae periodo sexualia organa in quolibet individuo ita constare, ut habeantur simul foeminea organa atque masculina, adeo ut usque ad quandam evolutionis periodum homo sit perfecte ermaphroditus vel, magis proprie, bisexualis, qnemadmodum constanter in quibusdam animalibus per totam vitam contingit.

Sexualis autem evolutio ex eo sequitur, quod in certo quodam vitae foetalis stadio vel praevalet masculinum elementum, dum foeminina organa haud ulterius evolvuntur, vel e converso: et secundum hanc

(1) Cfr.: Cap. primum.

praevalentiae diversitatem, posteriori tempore, determinantur etiam et evolvuntur secundarii characteres.

Atque ita explicatur, qua ratione in omni individuo, iuxta proprii sexus organa, inveniantur quoque rudimenta organorum alterius sexus.

At si agant, dum ipsius sexus discriminatio in fieri est, perturbatrices quaedam normalis evolutionis caussae, tunc evolutio ipsa uno alterove modo aberrat. Alterationes autem, quae in huiusmodi casu haberi queunt, sunt vel simpliciter somaticae, uti in hermaphroditis, vel etiam psychicae: sexualis vero perversio, quae frequentius accidit, id est *homo-sexualitas* (cf.: par. 3), videtur propriam repetere caussam ab individualis evolutionis perturbatione.

Haec porro perturbatio consistit in eo, quod deest vis sufficiens cohibens propensionem versus illum sexum, qui normaliter in evolutionis cursu subsistere deberet. Huic autem explicationi de genesi homosexualitatis favet factum ipsum manifestationis ejus; apparet enim quando moralis corruptio admitti nequaquam potest: puer namque, qui homo-sexualis nascitur, talis manifestatur, cum primam sexualem incitationem recipit, et eius vitae actus sunt, semperque erunt respondentes propriis characteribus sexualibus psychicis anormalibus sui ortus, haud vero respondebunt physico eius sexui. Sed praeter huiusmodi caussas aberrationis in sexuali instinctu, quae agunt tempore vîtae foetalis, meminisse etiam praestat haereditatis influxum; vi cuius casus illi explicantur, in quibus coexsistunt characteres sexuales secundarii, psychici praesertim, contrariae naturae. Atque ita viri existunt, qui faciliter inclinant ad muliebres occupationes, et foeminae, e converso, ad virilia negotia; et hoc extra omnem influxum educationis vitaeque generis verificatur.

Hi, similesque casus, quos lector facile recolere poterit, cum degenerationem exhibeant in ipsa sexuali evolutione, aetiologice et clinice inspecti tamquam par-

tiales formae degenerationis neuropathicae sunt atque ut plurimum haereditariae naturae. Hinc in huiusmodi casibus deviatio a biologicis normalibus legibus communiter manifestatur una cum enormibus quibusdam evolutionis conditionibus, uti sunt praecox vel tarda quarumdam functionum evolutio, abnormia phaenomena inhibitionis, necnon defectus resistentiae in sphaera nonnullarum functionum, quae psychice magni sunt facienda momenti, atque anatomica degenerationis stigmata, etc.

Qua ratione intellegitur, quomodo maior pars eorum, qni perversi sexualiter habentur, una cum hisce gravibus anomaliis, manifestationes etiam psychicas abnormes exhibeant tanquam haereditatis simptoma; cuiusmodi sunt, e. g., neurasthenia constitutionalis, paranoia, imbecillitas, etc.

Sed et alia animadversio facienda est, quae genesim aberrationum sexualis instinctus illustrat.

Sunt ne sexuales anomaliae omnes haereditariae, aut congenitae, an quaedam dantur etiam acquisitae? Quaestio haec acris disceptationis obiectum extitit; atque oppositas opiniones sustinuerunt Forel et Kraft-Ebing; nos vero existimamus cum hoc altero retinendum esse, quod licet haberi possint formae intermediae, et quae difficulter in classes reduci possunt, et etiam mixtae, tamen sufficiens remanet motivum, quo affirmari liceat, aberrationes sexuales etiam dari, quae ex prava inveterataque habitudine certo acquisitae sunt, licet adsint quoque sexuales aberrationes haereditariae aut congenitae.

Ita, e. g., de casu haereditario agitur, cum nos percipimus sexuales anomalias sub ipsis vitae sexualis primordiis; tunc enim agitur profecto de influxu a genitoribus ratione haereditatis proveniente, aut de morbosa aliqua causa, quae in foetum quamdam exercuit irregularem actionem.

Haec autem haereditaria dispositio quandoque adeo est intensa, ut minimum quid satis sit, ut illa erumpat et noxios producat effectus. At iidem ceteroquin effectus haberi quoque possunt ratione contractae habitudinis, quae ob psychologicum quemdam processum, de quo inferius loquemur, adeo immutat seriem operationum ideas generantium, ut eis cursum quemdam, ut ita dicam, coactum conferat. Qua de causa menti illius, qui ex corruptis habitibus perversus factus est, lubricae obiiciuntur imagines associatae ideis, quae nihil de re venerea continent. Huiusmodi vero idearum adsociationes facilius et abundantius in illis individuis exoriuntur, in quibus voluntas magis debilitata est propter contractum habitum eousque ut cedant sexualis instinctus illecebris. Fateri certo debemus, casus sexualis perversionis ex habitu vitioso acquisitae raros admodum esse; attamen non videtur sufficiens hoc esse motivum ad eius existentiam denegandam (1). Frequentiores equidem adsunt casus de individuis haereditate infectis, in quos educatio socialisque convictus ita agere debuerunt, ut noxius influxus minueretur; at e contra pravi habitus

(1) Casus reipsa verificantur, in quibus absque peculiari praevia dispositione et sine congenito vitio omnes sexualis appetitus perversiones superius descriptae habentur. Habitus vero intantum genesim explicat, in quantum ipse artificiosam quandam suppeditat continuamque incitationem sexualis appetitus, qui suas voluptates explere desiderat mutatione et inquisitione conditionum anormalium. Recte Forel scribit, mammonae et bacchi apostolos, priores lucri oblectamento, posteriores ob narcosim, quae degenerationem gignit, et in paralysim adducit nobiliores sensus atque reflexionem, concorditer ad foedissimum vitiorum coenum tuendum adlaborare. Sexualium autem aberrationum formae habitudinis ope frequentius acquisitae sunt mansturbatio, paederastia, sodomia, paedophilia, lesbius amor atque irrumatio: e contra fere nullus habitudinis influxus habetur in sadismo, masochismo, feticismo et exhibitionismo, quae formae psychopathicis debentur processibus degenerativis: atque ita etiam habitudinis influxus in omo-sexualitatis genesi rarus agnoscitur.

aptam invenerut materiam in illa psychica infirmitate-haereditate traducta. Casus igitur, qui saepius occurrit, ille est, in quo unum alterumque unitur elementum. Ita, ex. gr., vehemens impulsus ab haereditate proveniens efficax fit ob causas, quae in alio individuo effectu caruissent, ad sexualem appetitum, ceteroquin naturalem moderatumque adeo augendum, ut abnormem directionem imprimere valeat. Ita etiam indeterminata adhuc et vaga parumque evoluta unius individui inclinatio ad homo-sexualitatem augeri potest sub corruptore influxu alterius individui homo-sexualitate congenita infecti; dum e contra prior turpem inclinationem amisisset, si forte feminae fuisset captus amore: (Forel) et aliunde vero posterior, homo-sexualitate typica infectus, nullum in alterum exercuisset influxum, si hic dispositionem non praetulisset specialem.

Sed factum, quod rite est attendendum ab investigantibus morbosas sexualis instinctus manifestationes, illud est, quod pictoria quadam expressione *feticismus eroticus* dictum est, i. e, amatoria quaedam veneratio. Civilis quidem et moralis homo non ab omnibus diversi sexus individuis attrahitur, sed a quibusdam tantum determinatos habentibus sexuales quosdam characteres. Hujusmodi autem phaenomenon, quo ostenditur sexualis selectionis legi hominem quoque subiici, a Binet *feticismus eroticus*, ab aliis autem *abstractio symbolica erotica* appellatum est. Ex quo etiam optime infertur, quod matrimonium monogamicum suum quoque fundamentum habet in ipsis physiologis et psychologicis rationibus.

Et revera, Kraft-Ebing physiologicum hujusmodi erotismum explicat hoc modo: Dum quis in statu versatur sexualis vividaeque excitationis, fortuito in alterius sexus incidit personam, cujus peculiares quaedam tum physicae tum psychicae qualitates ejus attentionem attrahunt, et tunc relativae impressiones sexuali emotioni directe

associantur, ad eamque extollendam inserviunt. Deinceps vero quoties unum et alterum hujus adsociationis elementum occurrit, sexualis commotio toties apparet; et posteaquam frequenter est repetita, sensus et repraesentationes sexuales determinantur, prout acceptio praevalet vel exclusio illius personae. Hujusmodi autem psychologicus processus intra fines normales continetur, usque dum singula elementa, quae adsociativo processui locum dare possunt, unde sexualis emotio exurgit, in quaedam quasi cultus vel adorationis idola (*fétiche, feticcio, fetisch*) non transformentur, idest, non constituant occasionem revocandi complexivam repraesentationem illius personae ; et praeterea dummodo unius vel alterius elementorum praesentia non sit *conditio sine qua non* ipsius potentiae sexualis. Secus, ut optime animadvertit Kraft-Ebing, casus habemus de idolo pathologico (*feticcio patologico*); quod, ut melius explicabimus infra, consistit in eo, quod appellatum est *particularismus excessivus objecti erotici.* Qui enim tali perversione afficitur, spasma sexuale non experitur, nisi ob particulare quoddam objectum, puta pedem, manum, calceamentum, capillos; unde feticismus pathologicus consistit in excessu feticismi conjuncti quandoque cum aliqua adhuc aberratione. Ita, ex. gr. erotica horum infelicium phantasia eousque progreditur ob particularismi delirium, ut tandem fixa haereat in quodam inanimato objecto, puta in foeminea ocrea, dummodo lucida sit atque elegans, in chirotheca olente, pluribus praedita globulis, in subligaribus ornatis etc. Quod si haec objecta sibi comparare nequeat, feticista satisfactionem quaerit in ipso vacuo et inanimato symbolo ; atque ita sutrina, officina modernis vestibus renidens, armarium rei linteariae, aliaque hujusmodi eroticam significationem quoad illum praeseferunt.

Praeterea vero Kraft-Ebing opportune notabile factum exhibet sedulo notandum: quod nempe idolum

physiologicum vel pathologicum nullam habet relationem directam cum organis sexualibus, seu in sphaeram sexualium characterum primitivorum non ingreditur; sed potius a secundariis praebetur, valoremque assumit aestheticum in psyche ipsius feticistae indirecte tantummodo sexualem. Hujusmodi autem idola (*feticci*) in proprietatibus plerumque collocantur individualibus corporeis, sed aliquando etiam in psychicis. Praecipua vero sunt, quoad virum, capilli, manus, pedes mulieris, et etiam per viam psychicam intuitus et vox. Analogice autem, quoad mulierem, valorem habent feticisticum secundarii quidam viri characteres sexuales, ut et. gr. statura, animus fortis, intelligentia, socialis conditio etc.

Ut vero quaestiones generales absolvantur de physiopathologia sexuali, indicare etiam debemus manifestationes nonnullas abnormes, quae interdum aptam suppeditant meteriam ipsis sexualibus aberrationibus: loqui nempe intendimus de *anomaliis sexualibus reflexis*, seu de *paradoxismo sexuali* atque *sexuali hyperestesia.*

De reflexis vero anomaliis jam nonnulla retulimus: in *vaginismo* enim et in *priapismo* inveniuntur. Prior consistit in spasmate quodam dolorem ciente, quod producitur in ore vaginae ob cujuslibet objecti materialis introductionem; alter vero in excessiva inritabilitate reflexa, qua nervea erectionis centra afficiuntur, unde frequentes et admodum dolorosae molestaeque erectiones determinantur.

Nomine autem *paradoxismi sexualis* intellegitur existentia sexualis appetitus in ea aetatis periodo, in qua vere abnormis apparet. Quo in casu ipsum appetitum concomitantur aliae majores vel minores manifestationes eroticae. Potest vero esse paradoxismus infantilis vel senilis. Prior raro admodum contingit, et consequenter ad satiriasim vel nimphomaniam haereditariam, ob quam in puerulis utriusque sexus a tenerioribus annis sexualis

evolvitur appetitus: idque accidisse in puella trium annorum deprehendit Lombroso, et Forel in puero annorum septem.

Frequentior vero in senibus paradoxismus habetur: isque plerumque indicium est senilis dementiae, paralysis progressivae, etc. Hisce autem in casibus sexualis appetitus ad objecta tendit abnormia, puta, puerulas, res ad meretrices pertinentes, etc. Hujus autem formae frequentiam ostendunt plures contra senes scandalosi processus criminales: in quibus accidit, ut senes isti tamquam immorales et vitiosi judicentur, quia mentalis eorum infirmitas, fundamentum excitationis sexualis, eo tempore exoritur, quo illa nondum ita est evoluta, ut percipi possit. Unde aliquando condemnantur; et interdum victimae quoque sunt machinationum et fraudum, quas illis lucri etiam causa struunt puerulae a genitoribus instructae, vel ipsae meretrices: reapse tamen non agitur nisi de aegrotis, paralysi progressiva affectis, quae nondum sua symptomata patefecit.

Sexualis vero paradoxismus infantilis pluries prodromus extat morbosae illius manifestationis, quam tertio loco posuimus, i. e. *hyperestesiae sexualis congenitae*, seu abnormis exaggerationis appetitus sexualis.

Quae tamen etiam acquisita esse potest, ex. gr. propter vitae sexualis abusum, vel varii generis alterationes in sexualibus organis: quas enumerare hic non vacat, cum fusius de ipsis pertractatum jam sit.

Exploratum equidem est, hujusmodi hyperestesiam in viro frequentiorem esse quam in foemina. Manifestatur autem per desideria, quae provocantur aspiciendo personas diversi sexus, vel sensibus percipiendo, quae ad ipsas referuntur, sive sint objecta tantummodo, quae ad illas pertinent, sive quae eas in mentem revocant; unde magnam hic habet partem *feticismus*.

Interest autem attendere hoc loco, quod si sexus alter deficiat ad libidinem explendam, quodcumque me-

dium ad hunc finem est aptum, ita ut in gravissimas aberrationes prolabantur, qui hoc morbo afficiuntur. Interdum etiam ab eroticis imaginationibus adeo isti vexantur, ut variae haberi possint formae sexualis obsessionis. Confessarii vero et medici omnes plures hujusmodi aegrotos cognoscunt, qui auxilii et consilii causa ad ipsos recurrunt: et optime quidem, quia faciliter, nisi agatur de formis haereditariis vel de habitu, qui jam determinaverit quendam statum morbosum ex illis, de quibus inferius loquemur, faciliter, inquam, sanantur per simplicem quoque, dummodo tamen sit rationalis, sexualem hygienem.

§ 2. — **De onanismo** (1).

Nunc autem de sexualibus aberrationibus nonnulla sunt exponenda.

Omnium sexualium aberrationum initium fere semper onanismus habetur: qui tamen plerumque ad illas per se non pertinet.

Quando enim sexualis appetitus primo exurgit ob seminalis liquidi secretionem ex glandulis ad maturitatem perductis, exoriuntur in puero primae excitationes sexuales: eroticae autem imagines, et continuus processus idearum primum constituunt substratum, quo puer ad masturbationem adducitur; quae a physiologis *masturbatio compensationis* (Forel) dicta est, quia appetitus sexualis non anomaliae debetur, sed vitiosis habitibus, quibus fit, ut satisfactio appetitus modo abnormi quaeratur.

---

(1) Lectoris attentionem iterum revocamus supra significationem hujus vocis, quae pro medicis idem importat, quod pro theologis masturbatio, cum majori tamen latitudine relate ad methodum curae adhibendam.

Crescentibus vero annis, moralibusque ideis progredientibus, puer plerumque a vitioso habitu recedit, sed non semper: quandoque enim in illo persistit: et tunc individuum habetur voluntate sat debili praeditum, quod appetitui dominari nescit, ab eoque vincitur. Pravus itaque habitus, subeuntibus annis, altius radices agit, quoniam voluntas eo usque debellata magis enervatur, et ob sexualem abusum ipsa quoque gignitur hyperestesia.

In foemina vero res diversimode se habet: in ea quippe sexualis appetitus activus non est sicut in viro; non enim a spermate, in seminalibus vesiculis cumulato, excitatur; unde illa nocturnas haud patitur pollutiones, quae voluptuosos sensus producunt, sponteque excitant sexualem appetitum. Hinc recte animadvertit Forel, quod ad libidinosa somnia et mansturbationem provocandam in muliere requiritur sexualis excitabilitas pathologica: et sub hoc respectu jure Forel affirmat, non esse relate ad foeminam loquendum de *compensationis masturbatione*.

Nihilominus vero onanismus in foemina, licet haud frequens, ut in masculo, reperitur quidem et non admodum rarus. Provenit autem sive ab incitationibus artificialibus, et localibus fortuitis, sive a causis absolute pathologis, sicut in pluribus hyperestesiae casibus, sive denique a pravis exemplis. Contracto autem a foemina masturbationis habitu, majori semper facilitate actus repetuntur, quemadmodum et in viro accidit; idque ex eo, quod in voluntate difficultas semper magis augetur resistendi libidinosis cupiditatibus.

Hactenus, ut evidens est, onanismum consideravimus tamquam vitiosum habitum acquisitum, qui vinci tamen potest relativa quadam facilitate; et cujus imputabilitas plus minusve completa habetur, prout habitus dominium, et imperium adeptus est supra voluntatem non rite directam: integra tamen culpabilitas

nunquam deest. Unde necesse est omnino viribus omnibus adlaborare, ut hujusmodi nefandum vitium eradicetur, quod pessime undique grassatur.

Et licet profecto exaggerate describantur damna onanismi ad lucrum plerumque comparandum, ipse tamen maxime est perniciosus propter nimiam, quam im voluntate devicta producit, debilitationem.

Sexualis hygienes, therapeutica et psycotherapia, quam superius descripsimus Cap. 4, 5, 6, persuasionis virtus, vigilantia, totum id, quod inservit ad avocandam onanistae attentionem ab objectis sexualibibus, religiosa media praesertim, sine quibus solidi numquam obtinentur effectus, ipsa denique aetatis maturitas ad pravum habitum vincendum adducunt.

Adsunt tamen casus nonnulli, in quibus omnia haec remedia nihil proficiunt: idque contingit, quando onanismus constitutioni debetur psychopaticae, quae persaepe est haereditariae naturae; vel quando sexualis verificatur paradoxismus, de quo supra jam diximus, vel aequivalens epilepsis, vel dementia senilis, vel incipiens paralysis progressiva, vel etiam, ut in pluribus casibus, ipsa sexualis hyperestesia (1).

In omnibus hisce casibus imputabilitas plus minusve minuitur, et in quibusdam etiam totaliter tollitur: agitur enim de uno ex illis modis, quibus forma morbosa manifestatur: quo in casu deest originis habitudo inter sexualem voluptatem et necessitatem sexualem, ipseque impulsus ad mansturbationis actum a processibus idearum inconscientibus determinatur, vel

---

(1) Hisce formis, in quibus onanismus characterem invincilitatis induit, affines habentur illi casus, in quibus onanismus a locali abnormi incitatione provenit, uti accidit in pueris vermiculis (*oxiuris*) in intestino affectis, vel in puellis huiusmodi vermiculos in vagina habentibus; vel etiam quando agitur de locali inritatione causata a quibusdam putrefactis substantiis, e secretione glandularum (cf. Cap. 4, § 2, *b*) productis.

ab obscuris quibusdam sensationibus, quae in hujusmodi formis praedominium arripiunt.

Quaenam autem cura adhibenda hisce in casibus sit, inutile est heic referre: agitur quippe de miseris amentibus, qui ad psychiatram recurrere debent.

Quum vero de formis agitur hyperestesiae vel paradoxismi a pravis habitibus determinatis, et in quibus haereditas nullum exercuit influxum, tunc felix haberi potest exitus ex adhibitis curis psychotherapicis, quas supra exposuimus, et generatim ex omnibus illis mediis, de quibus postea loquemur, agentes de homo-sexualitate.

Notandum denique est, quod onanista ad hujusmodi categoriam pertinens, difficile admodum, et sat raro quidem, in his enormitatibus sistit, sed eo ultra procedit; fit enim *exhibitionista*, atque per feticismi gradus pervenit ad *masochismum*, *sadismum*, de quibus sermo erit inferius.

§ 3. — De homo-sexualitate.

Onanismo, qui inter vitae sexualis deviationes latius patet, proxime accedit characteristica illa genitalium inclinationum transformatio, quam Westphal, a potissimo, quod exhibet, simptomate, *inversionem sexualis instinctus* nuncupavit: cujus quidem synonima sunt: *homo-sexualismus*, *sensus sexualis contrarius*, *uranismus*, *contraria sexualitas*.

In homo-sexualitate frequentior, quam quod putatur, habetur anomalia, quae magnam gravitatem praesefert propter relationes ad medicinam legalem, pastoralem, et ad ipsam sociologiam.

Hujusmodi morbosa forma affecti sexualem exhibent inclinationem, quae ut plurimum a prima adhuc juventute apparet, erga personas ejusdem sexus (*homosexualitas*); dum e contra erga alterum sexum indifferentes, sub sexuali respectu, omnino se habent, vel etiam illum penitus fastidiunt. Unde accidit, quod masculus

veluti naturam foeminae induat, et masculorum concubitum cupiat ad sexualem appetitum satisfaciendum, foeminae interim partem in ipsa venerea voluptate assumendo sive pure idealiter, (*homo-sexualitas psychica*) sive etiam motibus et operationibus diversimodis (*homo-sexualitas proprie dicta*).

Alienistarum attentionem super hanc formam morbosam revocavit Casper; et usque ad paucos abhinc annos sexualis hujusmodi anomalia crimen pessimum vitiumque horrendum aestimabatur, circa quod sollicitum studium impendebant jurisperitus, theologus, sociologus et ipsemet literarum cultor, prout constat ex classicis operibus latinis graecisque, in quibus de eo saepe saepius sermo recurrit. Et sane in Graecia, uti omnibus notum est, tempore praesertim, quo civilitas vel humanitas graeca maxime florebat, hujusmodi forma morbosa admodum grassabatur ob corruptas vitiosasque hujus populi consuetudines ; unde, *paederastia graecus amor* etiam dicta est.

Recentiora vero studia plurium alienistarum, quos inter Westphal, Kraft-Ebing, Moll, Tarchanoff, psychopathicam hujus degenerationis naturam lucide demonstrarunt. Sed censendum tamen non est, quod omnes hujus aberrationis manifestationes effectus sint pshychicae degenerationis: habentur enim, qui lubricos hujusmodi actus exercent cum ejusdem sexus personis, quin ad hoc adigantur ab aliqua organica anomalia vel psychopathica degeneratione. Nec quamvis adeo facile perspiciatur, animadvertit Kraft-Ebing, discrimen inter istorum *perversitatem* et *perversionem sexualem*, seu inter vitium criminosum et inculpabilem anormalitatem, possibile tamen semper est hanc distinctionem percipere: quod praecipue hac consideratione obtinetur: In casibus morbosae homo-sexualitatis quis attrahi se sentit a personis ejusdem sexus etiam *psychice ;* quod significat, in eo esse conscientiam sexualem heterologam.

Unde, bene notat idem auctor, non sunt confundendi cum homosexualitate casus illi, in quibus actus homo-sexualis efficitur ea temporis periodo, qua sexualis instinctus non adhuc in sua specifica ratione completus habetur (status transitorii ante pubertatem) vel lucri faciendi causa, (masculi prostituti) vel ad excitandam sexualem potentiam propter nimium abusum decidentem, quemadmodum accidit moribus perditissimis, aut enormi libidine affectis, qui propterea homo-sexualitate, deficientibus aliis mediis, utuntur ad instinctum venereum explendum (v. gr., carceribus detenti, nautae, ephebi etc.).

In omnibus enim hisce casibus constitutivum homosexualitatis elementum deest, attractio nempe erga ejusdem sexus personas mediantibus characteribus vere proprieque psychicis sexualibus. Haud equidem opus est lubricas istorum consuetudines describere: hoc enim ad nostra studia minime refert. Unde si quis in necessitate eas cognoscendi versetur, conferat praecitata opera.

Quae vero exponere oportet, phaenomena sunt, quae ducunt ad hujus formae diagnosim conficiendam.

Homo-sexualitas igitur frequentior utique notatur in viro, sed nec in foemina deest. Apparet autem quandoque in solis aptitudinibus psychicis; et quandoque praeter inclinationem homo-sexualem proclivitas quoque haberi potest heterosexualis, ita ut verus contingat hermaphroditismi psychici casus. Semper vero deprehenditur praedispositio quaedam psychopathica originaria multoties haereditate transmissa. Sexualis stimulus sat praecox evolvitur; et voluptuosae imagines necnon eroticae ideae plerumque jam a primis manifestationibus evidenter sunt homo-sexuales.

Omnes autem conatus ad commercia sexualia normaliter peragenda incassum penitus fiunt, vel nullam agenti praebent satisfactionem.

Quae omnia revelant in aegroto characteristicam anormalitatis formam. Ad quam vero ulterius evolvendam efficaciter et definitive concurrit, uti animadvertit Kraepelin, cognitio alicujus ejudem sexus personae, cujus psychicae et somaticae qualitates (sexuales secundariae) extimulant appetitum abnormem. Tunc enim inter duas illas personas exaggerata ita nectitur amicitia, ut omnes amoris astutiae adhibeantur, quae usque ad actum turpem adducunt.

Deinceps autem amor iste procedit quasi similis amori normali: unde amatoriae lites, suspiciones, zelotypia, amicitia abrupta, etc. hujusmodi amori notam tribuunt characteristicam, prout contingit in relationibus inter diversi sexus personas.

Pluries vero utrumque individuum est homo-sexuale; quandoque vero unum tantum, quod cum altero sexualiter normali sese conjungere cupit. Minime fere vero hujusmodi amor attendit ad diversitatem conditionis socialis; et idcirco personae ordinum superiorum cum inferioris gradus individuis praeferunt contactus: plures autem erga milites valde inclinantur: uxorem insuper major eorum pars non ducit; et si quis ducat, hoc agit spe fretus a sua infirmitate sanandi, vel suam anormalitatem facilius et efficacius occultandi.

Rarissime praeterea inter homo-sexuales viget sodomia; et erroneum equidem est confundere, ut faciunt plures, homo-sexualitatem cum paederastia: inter masculos enim aeque ac inter foeminas mutui dumtaxat habentur favores et complacentiae, quae ex utraque parte simul sunt et aequales. Unde miserrimi isti tamquam perversi potius quam inversi habendi sunt.

Sed praeter sexualem perversionem in hisce individuis plures existunt characteristicae notae tum psychicae tum physicae, quas recolere praestat.

Et in primis observandum, quod physica lineamenta non semper specificos quosdam exhibent characteres.

Si enim in paederasta haec quoque deprehenduntur, in illis vero quandoque desunt omnino. Physicus quippe quorumdam ex his adspectus nullam ingerit suspicionem de tam gravi eorum sexuali degeneratione. Plurimi siquidem homo-sexuales sunt somatice normales: in paucis tantummodo conformatio somatica nonnullas praesefert deviationes, quae sexum oppositum indicant, quemadmodum, ex. gr. habentur viri imberbes, cum falsa vocula foeminea, aliquatenus crassi, polita albaque pelle praediti, tumidis mamillis, vita subtili, lateribus amplis: foeminae barba ornatae, ossa habentes crassa, pelvim masculinam, vocemque gravem et raucam. Priores a Kraft-Ebing *androgini*, posteriores autem *gynandri* appellantur.

Attamen harum deviationum raritas, et e contra psychicae alterationis constantia, necnon deficientia individuorum, verum praeseferentium hermaphroditismum instinctumque sexualem inversum, psychicam hujus formae naturam patefaciunt.

Et re quidem vera, psychicae alterationes omnino singulares et characteristicae habentur. Intelligentia enim plerumque est normalis; ideo genetici processus normaliter item evolvuntur, sed individuum faciliter defatigatur. Attentio est instabilis, mobilis, lapsitudini facile subjecta: imaginatio vividissima, et potentia emotionalis excessiva. Hujusmodi aegroti sensibilitate quam maxima pollent, rapidis frequentibusque indolis vel ingenii mutationibus sunt obnoxii, timidi, facilesque ad passionibus indulgendum. Voluntas autem incerta et remissa est, et character dulcissimus.

Ex his omnibus sequitur, quod eorum modus agendi gravem de ordinationis et irregularitatis statum ostendit. Inconstantia, carentia amoris erga veritatem, jactantia, pueriles vanitates sunt consueti defectus. Sexuales relationes saepe saepius, praesertim in viris, magnam habent partem et definitivam quidem quoad eorum vi-

tam; detinere eos possunt omnino per longum tempus, regularem activitatem cohibere, dissipatores efficere, et in sortem graviter influere.

Interdum inclinationi homo-sexuali aberrationes superadduntur *algolagniae* et *feticismi* superius descriptae, prout ceteroquin in personis etiam contingit aptitudines hetero-sexuales habentibus.

Quandoque autem aliarum etiam perversionum adsunt indicia. Kraepelin enim juvenem quendam negotiatorem cognovit, qui non tantum puerulos mingentes studiose aspiciebat, sed imbutam quoque eorum urina lingebat nivem.

In excessiva praeterea homo-sexualitate invenitur inversio quoad omnem quoque vitae rationem, quae ad alterius sexus mores accedit. Vir quippe fit effoeminatus in motibus, in incessu, in actibus, in gustibus; molliter se gerit et affectate, vanitates sectatur, muliebriter ineptit, magnum tribuit valorem exterioritatibus, cura peculiari se induit novitates sectando, flores gestat in tunicae fessura, se unguentis ungit, et coloribus tingit, capillos pectendos praebet, lepidas scribit epistolas in olentibus chartis, suumque prout puellae cubiculum concinnat. Quandoque etiam inclinatione afficitur ad acus opera exercenda, ad ferenda objecta et vestes muliebres, puta thoracem, ad tumida explicanda latera et pectus, ad loquendum vocula falsa; brevi, ad sese assimilandum, prout etiam exterius fieri potest, sexuali conditioni, quam avide cupit.

Aliunde vero foeminas videmus homo-sexuales, quae ab aliis distinguuntur ob inclinationem sese gerendi more masculorum, tum, ex. gr. in fumando, bibendo, tum in effraenate lasciviendo, tum in vestibus et capillis componendis, tum denique in exercitiis peragendis, quae veniunt nomine *sport*, et quibuslibet aliis, quae ad artes viriles pertinent.

Hujusmodi permutati mores a Kraft-Ebing nuncupantur *effoeminatio* et *viraginitas* (*effeminatezza, viraginità*).

Prima autem vestigia haud raro jam ab infantia deprehenduntur, conditionesque constituunt, quae completae plenaeque evolutioni favent.

Quoad frequentiam vero, quae in uno vel altero sexu verificatur, animadvertendum est, quod in utroque par et eadem est: nec quae major relate ad masculos videtur, vera et realis est, sed tantum apparens, propterea quia amplius de ea habitum est studium, ideoque perfectior cognitio: in pluribus enim manualibus, ex. gr. ipsius Kraft-Ebing, necnon Ulrich, Schrenk-Notzing, Raffalowich, exclusive de masculorum homosexualitate fit sermo. Sed et haec insuper objectiva certitudine cognoscitur ex impotentia psychica, quae adeo deprimit inversos, ut omni spe destituti sanitatem recuperandi continuo ad voluptatem explendam suis morbosis passionibus indulgeant. In foeminis vero, ut animadvertit Tanzi, homo-sexualitas occulta manet in recessibus animae, ita ut neque ipsa foemina affecta proprium morbum plene cognoscat, eo vel magis quod ex illo normale et etiam foecundum cum viro commercium naturaliter impediri nequaquam contingat.

Sed aliud etiam discrimen intercedit, quod evidenter eruitur ex iis, quae in homo-sexualibus observari possunt. Animadvertit enim Forel, quod normalis vir sympathiam et excessivum quoque affectum, quo virum alium prosequitur, ab omni sexuali sensatione penitus separat, nec minimum experitur desiderium amplectendi vel osculandi amicum sibi carissimum; quin immo ipsam quoque cogitationem fastidit et respuit, quae circa sexualia cum eo habenda commercia objiciatur. Hinc sequitur, sensibiles inter masculos blanditias inversionis suspicione non omnino esse expertes.

In normali foemina e contra exuberantis sensus sympathiae facile excitant cupidinem palpandi, osculandi, amplectendi amicam. Hujusmodi autem blanditiae, pluribus saltem in casibus, vagum sexualis voluptatis sensum foeminae praebent: sed quando etiam ista voluptas ad teneros eousque progredientes ducit amores, et in mutuam tandem masturbationem degenerat, ipsi tamen psychicae perturbationi intime manet ligata et sympathiae sensibus, a quibus separari, prout in masculo, nequit.

Valde igitur difficilius quoad masculum quam quoad foeminam distinguitur in casibus particularibus haereditatis influxus in genesim sexualis inversionis ab influxu corruptionis vitiosae, qui alter tamen sat frequens habetur in foeminis libidinosis et meretricibus.

Sed ultima haec consideratio nos ducit ad naturam hujus formae morbosae pertractandam. Cum enim jam expositae sint praecipuae sexualis inversionis manifestationes et characteristicae notae, ejus quidem natura nunc investiganda manet, ut rite inspiciatur, utrum in casibus inversionis, quae ex vitio non provenit, moralis imputabilitas revera desit omnino.

Haud profecto ambigendum est, quin hujusmodi sexualis perturbatio incrementum sortiatur ex *personalitate morbose degenerata.* Sed controvertitur, an characteristica sexualis stimuli immutatio, qua talis, innata sit, vel potius una tantum ex pluribus illi formis, quae possunt symptomata pathologica assumere modificabilia deinceps ex exterioribus vitae factis propter deficientem in his individuis capacitatem emotivae resistentiae.

Communiter recepta est Kraft-Ebing sententia, quae priorem opinionem tuetur. Qnin imino Ulrich eousque progressus est, ut admitteret possibilem existentiam « *animae muliebris in corpore virili inclusae* » *!!*

Iuxta Kraft-Ebing igitur, sexualis inversio factum primigenium est, quod jam a pubertatis initiis manifestatur. Et jure quidem; nam, ut jam vidimus, causae elaborantes sexualitatem psychicam individuorum homosexualium probabiliter in ipsa vita foetali citius efformantur, idque ob specialem evolutionem dispositionis anatomicae.

Haec insuper opinio factis innititur, quibus constat, sexualem inversum appetitum existere in puerulis annorum quatuor vel quinque, in aetatis nimirum periodo, in qua vita psychica nullum adhuc exercere valet influxum in vitam sexualem: et altero etiam facto fulcitur, quod relatio nempe habetur non tantum inter indolem complete spectatam, sed inter quasdam etiam singularitates somaticas et ipsum sexualem instinctum.

Et sane dum in individuis normalibus sexualis instinctus pubertatis tempore regulariter evolvitur, in hujusmodi inversis e contra evolutio habetur abnormis, licet idem sit psycho-physiologicus mechanismus. Attamen praeter hanc congenitam et originalem inversionem, quae tamquam vera anomalia habenda est, admittere etiam oportet, ut ipse Kraft-Ebing censet, inversionem acquisitam, vel, ut proprius loquamur, morosam, seu tardius advenientem.

Hujusmodi vero opinio adversarios nacta est, praesertim Schrenk-Notzing et Kraepelin.

Prior quippe docet, quod in actuali socialis ordinis dispositione primi impulsus sexuales, qui plerumque jam ante veram aetatem evolutionis manifestantur, necti debent quasi necessario cum factis, quae inter ejusdem sexus personas verificantur: (puerorum nuditas in balneis, in ludis gymnasticis, seductiones condiscipulorum in schola). Admodum quippe frequentes habentur sexuales amicitiae inter ejusdem sexus alunnos, qui sexuales differentias penitus adhuc ignorant. In normalibus individuis circumstantiae accessoriae, e quibus

primi emanant sexuales sensus, indifferentes omnino sunt quoad successivam genitalis stimuli propensionem, sed in morbosa praedispositione, ob quam stimulus sexualis semper excitari solet ante tempus et majori etiam violentia, ingentem afferunt gravitatem.

Quod maxime comprobatur ex nonnullis circa feticistas observationibus, quorum inclinationes per totam vitam perdurant sub influxu cujusdam determinatae impressionis. In mentem etiam revocari ad rem hic potest dominium cujusdam recirculationis imaginativae et aliquorum impulsuum, qui ab externo in nevrosi ob terrorem exitantur et in dementia coacta *(pazzia coatta)*.

Quemadmodum feticista voluptatem sexualem experitur in determinatis dumtaxat circumstantiis, ita et homo-sexualium voluptas ligari potest repetitioni illarum impressionum, quae prima vice vel modo peculiariter excitante stimulum sexualem determinarunt. Hoc modo impressiones illae essent notae characteristicae homo-sexualitatis.

In utroque autem casu contingere potest, quod haec originis habitudo saepe deinceps oblivioni subjaceat, et cognoscatur tantummodo effectus finalis apparenter aenigmaticus.

Sed tam circa feticistas, quam homosexuales innumera habentur explorata facta, quae originem hic indicatam penitus ostendunt.

Haec vero Schrenk-Notzing opinio a Kraepelin quoque admittitur, qui autumat, id, quod convenit uni sexuali aberrationi, feticismo videlicet, et alteri etiam, i. e. homo-sexualitati, convenire debere: putat enim, instinctum sexualem inversum quandam tantum esse singularem manifestationem inter innumeras sexualis instinctus formas degenerativas. Unde si possibilis est auto-satisfactio, quin alii participent necesse sit, et si possibilis item est sexualis excitatio ex objectis, et vexationibus activis et passivis, homo sexualitas tunc amit-

tit singularem illam conditionem, ob quam solummodo idea rite conciperetur de discrepantia somaticam inter et psychicam dispositionem.

Ceteras sane perturbationes constat posse evolvi ex vitae factis bene determinatis in substrato generali psychopathiae originariae. Non igitur adest ratio, propter quam supponi debeat, diversimode evolvi erga eumdem sexum amorem, eo vel magis quod formae, de quibus antea loquuti sumus, innumeris variisque modis copulantur.

Quibus itaque perspectis, Schrenk-Notzing et Kraepelin retinent, quod pathologicum sexualis inversionis factum haud consistat in impulsu, qui originaliter in contrarium evolvitur, sed in singulari ipsius spiritus ad influxum quemdam recipiendum aptitudine, quae fundatur super degeneratione vitae impulsivae, citius excitatae. Ob hanc vero aptitudinem in juvenili animo prima sensualitatis excitatio valde confert ad successivam et permanentem propensionem sexualem. Secundum hanc itaque theoriam, sexualis inversio potiusquam ab inclinationibus congenitis determineretur a causis psychologicis, ab exterioribus et accidentalibus circumstantiis; nimirum, si pubertatis tempore cum repraesentationibus originis organicae aliae simul coincidant relativae repraesentationes, quae constanter cum certis personis vel externis impressionibus connectuntur, sexualis vita per viam associativam sese evolvere potest in relativam directionem, et idcirco (si de ejusdem sexus personis agatur, vel de impressionibus quomodocumque ad hunc sexum spectantibus) in directionem ad homo-sexualitatem. Aliis verbis, sexualis vita determinaretur a psychologicis processibus seu associationibus.

Nos vero putamus cum Kraft-Ebing, hanc psychologicam theoriam non esse admittendam: ejus tamen opinionem contrariam ultro fatemur temperandam esse propter existentiam acquisitae inversionis, quae multoties factum prorsus innegabile extat.

Et revera, psychologica theoria in primis existentiam non explicat illius inclinationis ad uranismum, quae verificatur in pueris nullam habentibus de sexualitate cognitionem.

Secundo autem, optime animadvertit Kraft-Ebing, quum pueri hodiernis temporibus communiter rerum cognitionem sexualium a condiscipulis vel ludi sociis accipiant, i. e., ab ejusdem sexus personis, consequi deberet, secundum theoriam psychologicam, factum generale esse inversionem; quod feliciter non contingit. Congenita ergo inclinatio admittenda videtur.

Et probatur praeterea ex praecoci admodum existentia inclinationum, quae verae propriaeque sunt homosexuales. Scribit enim idem auctor, quod in quibusdam casibus pubertas seu vitae sexualis manifestatio satis incerta fuit lentaque valde. Nam si de masculis agatur, constat, quod post masturbationis excessum vel gonorrehae (vulgo: *scolo*) morbum, impotentia per aliquod tempus habita est; et subjectum, quod inclinationes indubias persenserat erga alterum sexum, noctu somniaverat amicos masculos pollutiones quoque passus.

Quin immo in aliis casibus sexuales deprehenduntur characteres secundarii, praesertim psychici, qui ad alium profecto sexum pertinent. Et in quibusdam conditionibus psychicis singularibus (ex. gr., ebrietate, statibus crepuscularibus) hujusmodi individua homo-sexuales complent actus, de quibus rationem reddere, conscientia etiam deinceps recuperata, non valent,

In his igitur individuis continuitas reperitur inclinationum bisexualium vel saltem homosexualium characterum, qui psychici sunt et latentes.

In iis itaque dumtaxat, qui ita haereditate praedispositi sunt, contingere potest, quod illa functio, quae fundamentis innititur anatomicis, mechanismo nectitur tam rigido, et plurium annorum exercitio constabilitur, per psychologicum quoddam accidens invertatur.

Sed fatendum tamen est, theoriam psychologicam absolute rejici non posse. Nam, seclusis influxibus externis, difficile admodum, etiam in subjecto haereditarie praedisposito, homo-sexualitas evolveretur.

Hoc vero non prohibet, quominus simul admittamus, quod absque physica, et praesertim psychologica morbosaque congenita constitutione homo-sexualitas persistens dari non posset. Secus enim verificarentur utique episodia quaedam homo-sexualia, sed talia simpliciter episodia, quae psychicam individui vere inversi formam characteristicam nequaquam exhiberent, et proprie casus haberentur perversitatis, non autem perversionis: et idcirco simplices quaedam conditiones et aequi influxus, ex. gr. morales vel religiosi, satis profecto essent ad normalitatem subjecto restituendam.

Animadvertit insuper Kraft-Ebing, hujusmodi expositionem quoad morosam seu tardiorem homo-sexualitatem rectam esse ex eo etiam evinci, quod, etsi sexualis inversio morosa sit facile sanabilis, sanatio tamen contingere nequit, nisi prius temporaneae eliminentur dispositiones, praecipue vero perturbatio psychico-somatica, quae neurastheniam causavit, et aliae quoque causae accessoriae, puta, conditiones sociales ambientes etc.

Profecto tandem concludit Kraft-Ebing post expositas suas observationes circa homo-sexualitatis naturam, ad rite intelligendam sexualem inversionem morosam amplecti oportere hypothesim de bisexualitate cum praesentia quidem dispositionis homo-sexualis, quae in normalibus porro conditionibus evanescit, sed in abnormibus manet cum suis vestigiis tandem aliquando praevalituris.

Ultimo autem, quoad sexualis inversionis decursum animadvertendum est, quod ea sibi relicta generatim ad homo-sexualitatem terminat; videlicet, constituuntur homo-sexuales inclinationes loco hetero — sexualium

normalium: sed in quibusdam etiam casibus is progressus habetur, qui usque ad effoeminationem pertingit. Ex hactenus itaque demonstratis, evidenter apparet, quam erronea sit illa sat communis opinio, quae tuetur, vitium morale semper haberi, pravae effectum voluntatis, in omnibus sexualibus inversionibus; dum, e contra, de anomalia quandoque agitur sexualis evolutionis, in quam nullum exercere valet influxum individui voluntas. Notetur insuper, quod ex iis, quae circa ejus genesim dicta sunt, affirmari quoque licet, non vere proprieque agi de morbo stricto sensu accepto, sed de anomala evolutionis deviatione, quae rite componi etiam potest cum ipsius psycheos integritate.

Et sane, ad rem opportunum videtur recolere cum Kraft-Ebing, quod pluribus in casibus hujusmodi infelices vere neuropathici sunt, et etiam affecti plus minusve transeuntibus, vel permanentibus morbis psychicis; sed omnia haec causantur tum ex psychicis conflictibus, quos subeunt ob sexualem, qua laborant, perversionem instinctivam, tum ex imperfecta vel perversa satisfactione seu voluptate (onanismo) sexualium instinctuum, tum denique essentialiter ex eo, quod plures tali enormitate affecti neuropathica labe haereditaria inficiuntur. Immo saepe saepius vere sunt moraliter fatui vel imbecilles; quod provenit quidem, uti sexualis inversio, ex degenerativis evolutionis cerebralis perturbationibus.

Reciprocae autem duplicis oppositae inclinationis actiones ob bisexualem praedispositionem satis explicant, quomodo hujusmodi individua frequenter ingenium seu indolem praeseferant abnormem, quae tamquam effectus profluit ex mixtis sexualibus characteribus psychicis secundariis foemineis cum masculinis.

At his vero nonobstantibus, vulgaris opinio numquam admisit, homo-sexualitatem quandam esse posse formam abnormem evolutionis physio-psychicae.

Quod caeteroquin sat facile explicatur ex eo, quod nonnulli homo-sexuales existunt, qui, praeter sexualem aberrationem, nullam prorsus aliam praeseferunt irregularitatem, ita ut existimentur perfecte quidem normales, et pro tanto ob idipsum voluntarie vitiosi.

Et revera, Moll longam profert seriem de viris tum intellectuali, tum civico valore illustribus, qui tamen homo-sexuales fuerunt. Et quilibet etiam medicus potest casus enarrare de inversis, in quibus omnes vitae psychicae intellectualis et moralis (exceptis utique sexualibus), manifestationes perfecte normales habebantur, et sublimioribus etiam vitae ideis informatae. Hoc itaque ostendit, homo-sexualitatem vitio nequaquam semper esse adscribendam, sed potius, saltem quandoque, in quadam inclinatione simpliciter abnormi consistere; ideoque retinendum profecto est, nihil aliud esse hujusmodi inversos, nisi quaedam naturae monstra, quemadmodum animalia octo crura vel duo capita habentia; sunt quippe una simul *sub ratione psychica* foeminae, et *sub physica* masculi, vel vicissim.

Hinc intelligitur sane difficultas, sed necessitas quoque exacte determinandi diagnostica criteria, quibus rite dijudicetur, utrum hic vel ille casus revera pathologicus sit, ideoque culpabilitatis expers, et pro tanto etiam a medicis propriis remediis curandus, vel, e contra, an potius vitio debeatur, et habitibus pravis contractus sit, et idcirco plusve minusve, sed simpliciter tamen semper sit imputabilis, ac mediis curandus praecipue vel unice moralibus ac religiosis.

Diagnosis autem valde facilis est aliquando; et hoc verificatur in casibus, in quibus gravis habetur transformatio personalitatis psychicae vel somaticae, quamvis non raro in hac quoque transformatione adesse possint normales sexus inclinationes. Ceteris vero in casibus medica diagnosis nequaquam possibilis est, nisi conse-

quenter ad infirmi declarationes; quibus nihilominus praehabitis, difficilis multoties succedit diagnosis ob ipsius aegroti simulationem, a qua maxime cavendum est.

Major attamen difficultas exurget, quando cum sexuali inversione pathologica alia simul existit artificialiter seu voluntarie adjuncta.

Tunc enim, ut differentia inter utramque agnoscatur, necesse est, tamquam fundamento inniti haereditatis et evolutionis psychicae et magis adhuc sexualis criteriis et signis, necnon causarum indagini, quae ad criminosos actus sexuales tribuerunt impulsum. Studium enimvero de haereditate ad stabiliendam ducet existentiam neuropathicae illius tabis, in qua sexualis inversio fundatur, quaeque ex degenerativis manifestabitur functionalibus anatomicis stigmatibus, et praecipue ex neuropathologicis et psychopathologicis phaenomenis.

Studium vero de sexuali evolutione ad illam perducet inversionis praecocitatem determinandam, quae, ut jam vidimus, fundamentale hujus morbosae formae symptoma constituit.

Hanc autem praecocitatem clare perspiciemus adhibito studio circa sexualem subjecti vitam, prout a primis annis manifesta apparebit; ideoque habebitur ratio de ludis, somniis, relationibus cum variis personis, ac de casualibus perversionibus praecocibus, etc.

Prognosis vero maxime pendet a bona inversi voluntate ac intelligentia. Difficilius porro est sanare individuum, quod est psychice insufficiens, quam normaliter evolutus; sicut facilior est sanatio, quando altiora habentur in subiecto criteria moralia, per quae possibilis fit actio inhibitoria in anomalas inclinationes. Formae autem morosae seu tardiores, facilius quam congenitae, in quibus partem suam habet haereditas, sanantur.

Duplicis vero generis media curationi opportuna sunt adhibenda, physica nempe et psychica. Animadver-

tendum tamen est, priora valorem dumtaxat relativum habere ; agunt enim secunde quidem, sed indirecte tantum.

Utraque autem methodus tendit ad compescendas vincendasque sensationes et instinctus inclinationis erga ejusdem sensus personas. Sed cura physica praecipue in iis omnibus mediis consistit, quae ad neurastheniam impugnandam inserviunt. At quoad horum tractationem lectorem remittimus ad consueta manualia. Majoris quidem momenti est cura mansturbationis, quae, ut plurimum, est his individuis causa neurastheniae. Ad quem finem media adhibebimus jam exposita in *Cap. 4, 5, 6*, quae reducuntur ad alimentationem frugalem, ad hydrotherapiam, electrotherapiam, seu ad idonea illa media quibus hyperexcitabilitas sedatur.

Majori autem valore ad rem pollet *suggestio* et praesertim *hypnotica*, quae in hujusmodi forma, quemadmodum et in aliis quam pluribus, effectus optimos consequitur, dum insufficiens evadit quaelibet alia methodus.

Sed suggestio dirigatur in primis oportet ad debellandam masturbationem, et, quae ex ipsa consequitur, auctam sexualem excitabilitatem.

Deinceps vero suggestio ad reddendum subjectum erga proprium sexum insensibile tendat, imagines debilitando et compescendo, quas phantasia excitat et memoria revocat.

Ad hoc autem necessarium est repugnantiam ingerere adversus commercium cum ejusdem sexus personis, illudque tamquam aberrationem depingere necnon tamquam naturae contrarium et perniciosum. Ad effectum vero obtinendum, *conditio sine qua non* est absoluta prohibitio cujuslibet cum proprii sexus personis intimae familiaritatis.

Tertium denique hypnoticae curae momentum in eo reponendum est, quod excitetur in subjecto vis quaedam, qua ab altero sexu morali terattrahatur et aesthe-

tice percellatur; idque obtinebitur per suggestionem hypnoticam ostendentem sola cum alterius sexus personis legitima commercia esse naturae conformia, necnon rectitudini boni sensus, moralitati, legibus, dignitati humanae, etc. Ipsa quoque matrimonii commoda et satisfactiones caute exponantur, atque psychica excitetur erga mulierem propensio. Oportet tamen omnino cavere a suggerendis ab initio matrimonialibus, et semper, eoque magis, extra-matrimonialibus contactibus.

Matrimonium enim suadere, antequam perfecte acquisita sit sanitas, crimen gravissimum foret, quia idem esset, ac unioni cooperari quae nonnisi infelix evaderet. Adversus autem extraconjugalia commercia, quae plures equidem medici consulunt, non tantum alte clamant ethica principia, sed ipsa quoque clinica experentia; qua clare constat, graviorem istorum conditionem fieri ob malos effectus, qui ex inito coitu sequuntur.

Sanatio vero, licet tantum obtineatur ope patientiae, conatuum, et experimentorum, quae sunt iteranda, certo tamen obtinebitur, et firmiter quidem, dummodo aegrotus propriae conditionis abnormis conscientiam habeat, et medici sollicitudini ac praescriptionibus obtemperet.

Diffitendum vero non est, quominus exiguus quidem eorum, qui sanati sunt, numerus habeatur; idque propterea, quia plurimi repugnantiam sese fidendi medico superare non valent; coeteri autem de curationis efficacia dubitant, et idcirco totum per suggestionem ipsius curae fundamentum evertunt.

Sed casus, in quibus nulla vel minima spes affulget, illi habentur, in quibus subjectum dispositione laborat hypnosi contraria, vel ita remissa, ut efficax nequaquam evadere possit. Refert quippe Fuchs, quod, ex quadraginta duobus infirmis, quatuordecim tantum sani facti sunt, octo vero neutri (alter hic status sane

est praeferendus); ex sanatis vero plures duxerunt uxorem, atque optimi quidem fuerunt patres-familias.

Quidam vero medici opinantur, nefas esse medicam curam assumere circa hos infelices, meliusque profecto eis esse consulere, ut patienter proprium statum sustineant, sese interim abstinendo ab omni homosexuali commercio.

Sed jure quidem animadvertit Kraft-Ebing, quod, si ex his curari quis postulet ob rationes ethico sociales, ipsis abnuere medicum nequaquam licet. Munus quippe fere divinum medici est consilium et auxilium requirenti praebere.

§ 4. — **De sexualibus perversionibus erga alterum sexum.**

Normalis quoque hetero-sexualitas suas alterationes habere potest. Admodum porro graves istae habentur; ex iisque quoad sensus et repraesentationes momentum magnum et praevalentiam assumunt associationes quaedam abnormes, quae majorem etiam gravitatem adipiscuntur ex perversis voluptatis titillationibus; quibus adjunguntur insufficiens et unilateralis evolutio illorum characterum sexualium, qui sunt psychici secundarii, et enormis sexualis instinctus intensitas, necnon saepe saepius singulares anomaliae sensus et instinctus abnormiter dirigentes.

Huc profecto spectant *feticismus pathologicus*, *masochismus* et *sadismus*.

Quaenam autem sit harum perversionum natura jam expositum est in *Cap. 2, § 4*. Oportet itaque in praesenti tantummodo inspicere, quidnam sit necessarium, ut diagnosis efformetur, et efficax horum morborum cura statuatur.

Animadvertendum tamen est, sub quadam generali ratione, quod hic agitur de formis commune fundamentum *aetiologicum* habentibus in dispositione quadam degenerativa, sive psychica, sive systematis nervei,

quae plerumque in his individuis exoritur una simul cum aliis quoque anomaliis et manifestationibus vel psychicis, vel organicis.

Hisce vero formis affecti neuropathici, ut plurimum, sunt, vel psychopathici, et penes ipsos mentales quaedam repraesentationes talem acquirunt intensitatem et durationem (*ideae*, quas *coactas* appellant psychiatrae), atque adeo a perversis motionibus acuuntur, ut nullatenus subiecto imputari possint, praesertim vero quum hujusmodi phaenomenologiam comitatur quaedam inclinatio necessitans atque impellens ad eos actus perversos.

1. *Feticismum* in primis itaque *feticismum pathologicum* consideremus.

Admittendum esse jam vidimus, juxta Kraft-Ebing et Binet, physiologicum feticismum, qui tamquam naturale phaenomenon speciei propagationi favet atque monogamiae. Hic enim quadam constat associatione, quae inter sexualem excitationem statuitur et impressionem quamdam a psychico productam vel physico charactere cujusdam alterius sexus personae, quaeque deinceps fundamentum ipsi operationum psychicarum collectioni praestat, ex quibus amor erga illam personam constabilitur.

In nonnullis autem casibus subjectum non aestheticum totius criterium, nec communem eclectismum, juxta propriam intellectualem capacitatem, sequitur, sed potius ab impressione quadam analytica attrahitur; unde, tunc non amatur feticismo pathologico haec vel illa persona complexive spectata, sed ex ejus particulari dumtaxat ratione quis attrahitur et allicitur.

Insuper, dum in amore normali completa imago personae amatae per se non sufficit ad subjectum sexualiter excitandum, in feticismo pathologico e contra ipsum idolum seu feticium, etiamsi nihil in se sexuale contineat, veneream tamen excitationem in subjecto produ-

cit. Sunt autem generis quam maxime varii feticismi objecta, ex. gr., calceamenta, strophiolum, quodcumque ad muliebre ornamentum pertinens, pili, excrementa, etc.

Descriptio vero et analysis non est hic facienda quoad varias associationes accidentales, quae feticismi pathologici fundamentum extant.

Animadvertere potius oportet, feticismum pathologicum procedere ex pathologica tantum praedispositione, quae, *etiologice*, a degeneratione psychica pendet.

Hoc porro constat ex ejus coexistentia ordinaria cum aliis degenerativis symptomatibus, aliisque abnormibus reactionibus sive psychicis, sive ad ipsum systema nerveum centrale spectantibus. Unde recte docet Kraft-Ebing, feticistas esse neuropathicos, inclinationibus praeditos admodum psychopaticis: eorumque ideas saepe saepius characteres assumere ideis coactis consimiles, quae ad actus impulsivos inducunt.

Quoniam autem hujusmodi pathologicus feticismus subjectum impellit ad sibi objecta per fas aut nefas procuranda, quae proprio feticismo inserviunt, facile intelligitur, quomodo multoties gravia quoque a feticistis admittantur scelera, quorum tamen sicut et suae anormalitatis culpa vacant propter libertatis carentiam.

Iuxta psychiatras, majori gaudentes auctoritate, hujusmodi impulsio vel coactio per hoc quandoque explicatur, quod sexuales emotiones, tamquam ex fundamento procedentes ex ipsa sexuali atque habituali hyperestesia, improviso ita intensificantur, ut actus criminosus producatur velut psychice reflexus, quin detur locus actibus conscientiae perspicuis, quae tunc potius quemadmodum et ipsa voluntas omnino supprimitur. Quod frequenter admodum accidit, praesertim in individuis psycho-degeneratis, neurosi affectis epilectica vel hysterica, aut alcoholismo chronico. Inter frequentiores vero actus stupra numerantur.

Sed saepius adhuc et cognitu difficiliores illi habentur casus, quum supra nevrasthenia degenerativa constitutionali ideae coactae evolvuntur ad impulsivum actum praedeterminantes. Tunc enim optime cognoscit subjectum absurditatem actus, quem est eliciturus, sed ab ideae coactae influxu quomodo se subducat, ignorat; unde, talibus ideis subjugatum ingenti conficitur angore, qui enormiter fit intensior ob phaenomena somatica accessoria, praesertim vaso-motoria, et psychice ob cognitionem obstaculi, quod, ut insuperabile apprehendit, adeo ut certo quodam momento usus rationis velut amittatur, et denique voluntas, omnesque ethicae repraesentationes contra ideam coactam penitus impotentes habeantur. Tunc vero subjectum conscientiam quidem adhuc servans quoad actum, quem est jam jam completurus, invincibiliter ad illum trahitur; et animo dejectus, omnique spe destitutus, necnon persuasum habens, quod cunctae intellectus et voluntatis vires sibi defecerint, hujusmodi statui finem ponit criminosum actum patrando (1).

Talis autem actus, docet Kraft-Ebing, a psychico quodam processu equidem emanat, sed inevitabilis factus est ob intollerabilem anxietatem status conscientiae; fuit nempe actio coacta, et qui eam perfecit, servus fuit ideae impulsivae.

Actum vero sequitur immediate quidam sensus jucundus adeptae libertatis vel solutionis ab idea coacta, ideoque a statu terribilis admodum tensionis: qui levaminis sensus omnino characteristicus est; quia aegrotus penitus quiescit in conscientia propriae inculpabilitatis.

---

(1) Hanc analysim exponimus juxta magni momenti investigationes a Kraft-Ebing in re praesenti peractas, cujus conclusiones quasi communiter hodie a scientiae cultoribus admittuntur.

Idea autem coacta plerumque exurgit ex causa occasionali, ex. gr., alcoholico excessu, nevrasthenica accessione, etc. Sed specialem quidem influxum tamquam causa occasionalis ipsum alcohol exercet, quod in hujusmodi degeneratos noxie agit, et, generatim, aegre ab eis toleratur.

Cura autem sat difficilis, saepe vero infructuosa, essentialiter consistit, quemadmodum pro homo-sexualitate, in remediis contra nevrastheniam, masturbationem, sed potissimum in benefica suggestionis hypnoticae actione.

Feticismi denique casus, in quibus contingit, ejus objecta res esse omnino indecentes et repugnantes, necnon casus illi, quum subjectum ad actus contra personas transcendit, ex. gr., ad abscindendos crines alterius, ut feticismi objectum adipiscatur, vel ad femineos habitus deturpandos atramento sive acidis, sive quocumque alio modo, formas constituunt, quibus gressus fit ad *sadismum*.

2. *Sadismus* vero non tam minoris est gravitatis, quam (feliciter quidem) minoris frequentiae.

Sadismi nuncupatio derivatur a scriptis *marchionis de Sade*, viri ad gallicam saeculi XVIII aristocratiam pertinentis, qui perversione erat affectus sexuali psycho-degenerativa, et opera edidit referta sexualibus horrendisque imaginationibus.

Consistit autem *sadismus* in eo quod sexuales motus tantummodo exurgunt ob visionem vel patrationem actuum, qui quadam redolent ferocia et saevitie contra mulierem.

Graviores casus exhibentur ab iis, qui foeminas cultro percutunt, et exenterant *(sventratori di donne)*.

Quandoque etiam *necrophilia* habetur, idest, satisfactio venerea mediantibus cadaveribus.

Generatim admitti potest, quod specialis actus sadisticus ab individualibus pendet dispositionibus, et

circumstantiis, quae sadismum excitarunt, necnon ab imperfectione majori vel minori sensus moralis, qui potest in contrarium opponi, etc. Multoties autem indifferentia habetur circa normales stimulos venereos; et, ut plurimum, sadismus in iis invenitur, qui jam ceteras attigerunt perversiones sexuales, et satietaten consequuti sunt in quibuslibet gradus inferioris perversionibus.

Quoad hujus vero formae naturam animadvertendum est, eam esse degenerativam, originariam, consequentem ex deviatione evolutionis psycho-sexualium processuum.

Ita porro explicatur, juxta Kraft-Ebing et Moll, quare sadismus in nonnullis manifestetur ea adhuc aetate, qua, normaliter, vita psychica nondum actionem ullam recepit a sphaera sexuali; atque etiam intelligitur, quomodo sadistici sensus excitari possint ex impressionibus, quae in homine normali sadisticam rationem numquam induunt. Sadismus enim non complectitur pluralitatem sensuum et instinctuum, qui fortuito simul adsociantur, ut accidit in feticismo; sed profluit ex excitatione dispositionum, quae morbosae et congenitae sunt; secus nullatenus explicaretur, cur in his individuis sexualis exurgat voluptas, quando isti puerum vident vel animal sexuale. Favet porro huic opinioni factum a multis observatum actionis nempe sexualiter excitantis, quam super alunnos et educatores correctiones corporales exercent. Hujusmodi enim actus excitant in homine normali commiserationem aut repugnantiam, numquam vero associationes in sphaera sexuali, quae tam longe distat.

Sadistica inclinatio ab initio subjicitur et reprimitur, ideoque exterius non manifestatur. At si opposita principia ethico-socialia et religiosa haud sufficienti vi pollent, et anormalis propensio acuitur, semperque minorem experitur subjectum satisfactionem in

normali actu venereo, perversio tunc evidens apparet. Moralis vero horror, quem sentiunt sadistae contra violentiam, non satis est ad eorum repraesentationes innocuas et nequaquam allicientes reddendas: quin immo viva adeo statuitur oppositio inter morales eorum ideas atque enormem inclinationem, ut quidam obsessionis status producatur alteri similis, quem de feticismo agentes descripsimus, status nempe, qui ad actum sadisticum adducit.

Monstruosa vero deformitas necnon inculpabilitas horum actuum evidens apparet atque innegabilis est. Agitur quippe de individuis degeneratis, ethice et socialiter deficientibus, qui sub coactione agunt congenitae inclinationis: quae cum ad actus criminosos pertingit, ut exploratum est in Jack famoso evisceratore, in Vacher, et in Jastroff, nihil aliud remanet, nisi tali morbo affectos in criminale manicomium includere.

In ceteris vero casibus, postquam conatus omnes adhibiti fuerint ad hypersexualitatem minuendam per media jam indicata in cap. 4, 5, 6, recurrendum erit ad hypnoticam suggestionem.

3. De *masochismo* pauca quidem dicemus. Vox *masochismus* a Kraft-Ebing inventa est, qui eam derivavit a nomine literati viri *Sacher Masoch*. Hic enim hujusmodi perversione affectus masochisticas descripsit scenas in suis fabulosis facinorum narrationibus. Alii vero auctores denominationem adhibent *algolagniae passivae*, vel *lubricitatis dolorosae*, quia censent perversionem hanc fundari supra sexualem excitationem, quae ex dolore corporeo sequeretur, ex. gr. *ex flagellatione ad nates*.

Masochismus igitur certo quodam sensu opponitur sadismo, quatenus in masochismo sexualis excitatio determinatur ab idea vel facto, quod importat subjectionem ipsi mulieri: videlicet, ab humiliatione, submissione

percussionibus, verberibus, quae dolorem pariunt, simulque sexualem excitationem producunt.

Sicut sadismus, ita et masochismus degenerationi debetur psychicae et hereditariae, ideoque etiam iste imputabilitate carere videtur.

Ejus vero cura consistit in nevrasthenia et hyperexcitabilitate sexuali vincenda, necnon in suggestione hypnotica, quae ad ideas masochisticas superandas dirigitur.

Evidens autem profecto est, quod de vera et integra sanatione sive sadismi sive masochismi ne sermo quidem fieri potest, cum de formis agatur, quae congenitis dispositionibus debentur.

4. *De exhibitionismo* denique mentio facienda est. Minorem revera hic gravitatem praesefert quam formae hucusque recensitae, sed longe majori gaudet frequentia.

Consistit autem in quadam inclinatione regulariter tendente ad genitalia detegenda coram diversi sexus personis; ut plurimum in viris reperitur, et cum onanismo, licet non semper, saepius tamen, conjungitur. Frequenter autem apparet in statibus crepuscularibus epilepticis, at non raro in ordinariis psychopathicis, qui dum illam actionem perficiunt, in statu quidem excitationis versantur, sed conscientiae obnubilationem haud manifestant. Hisce in casibus de morbosa quadam inclinatione simpliciter agitur, qua quaeritur delectactio venerea. Tali affecti aberratione determinata semper repetunt loca, ubi mulieres et pueri conveniunt, praesertim vero publica viridaria; et quum ad se accedentem et proximam respiciunt aliquam ex illis personis, detecta ipsis ostendunt pudenda, quae levi jam tegumento celaverant, gestibus interim et clandestinis signis attentionem supra seipsos attrahentes. Ex hujusmodi antem obscoenitate plerumque pollutio sequitur, et exinde excitatio cessat.

Alii vero per viam gradientes repente coram puellis sibi obversantibus sistunt genitalia adspicienda exhibentes. Refert Hocke, quod quidam flammiferis etiam utebatur, ut verenda clarius ostenderet.

De aliis quoque perversionibus, ex. gr., de *vera sodomia*, et de perversione, ob quam nunnulli sexualiter excitantur a statuis, nobis esset loquendum, sed has praeterire malumus: pertinent enim aliquo modo ad formas illas nosologicas jam hactenus descriptas: et cura ceteroquin adhibenda, si adhuc possibilis sit, ab aliis, de quibus jam sermo habitus est, nequaquam differt.

5. De una tamen forma omnino silere non licet, quia confundi facile posset cum aliis vere et proprie dictae perversitatis formis, et quia etiam sat communis habetur.

De *paedophilia* est aliquid nempe dicendum.

Paedophilia igitur *vera* est quaedam feticismi anomala forma, qua affecti excitationem tantummodo subeunt ab impuberibus (habetur etiam *gerontophilia*, i. e., sexualis propensio erga senes).

Distinguenda sedulo est paedophilia a pura et simplici perversitate, qualis invenitur frequenter in licentiosis hominibus et maxime senibus, qui facti sunt impotentes. Imbecilles quoque seu fatui hypersexuales, alcooholistae, epileptici, paralysi affecti progressiva suam explent sexualem hyperexcitationem cum puerulis, sed clare patet, veram paedophiliam heic non verificari. Agitur enim dumtaxat de quibusdam modis anomalis, quibus impulsui sexuali illi satisfaciunt; et eorum culpabilitas a gradu laesionis nerveae mensuranda erit.

Vera porro paedophilia ab his casibus differt, et potissimum a perversitate hominis moribus perditissimi. Ipsa enim primigenia via evolvitur; et qui insuper ea-

dem afficitur, insensibilis penitus manet coram personis adultis sexualiter allicientibus. Hisce igitur in casibus, quum de forma quadam degenerativa agatur, quae sexualem impulsum necessario determinat, de culpabilitatis carentia nullatenus est ambigendum.

§ 5. — Conclusio.

Cum itaque tam lubrici hujus argumenti finem jam assecuti simus, nequaquam praetermittere possumus animadversiones quasdam generales.

Facta enim, quae descripsimus, aperte demonstrant quam necessarium sit, confessarios semper prae oculis habere rationes aberrationum humani spiritus, ut opportune valeat mederi.

Quando igitur confessarius ex poenitentis declarationibus anceps haeret circa cujusdam ex his formis existentiam, poenitentem adhortetur, ut medicum consulat religiosae et timoratae conscientiae, necnon in psychiatrica scientia peritum. Hujus autem sententia dirigere potest confessarium ad judicium proferendum circa actionis imputabilitatem, necnon ad augenda atque efficacius proponenda et seligenda media, quibus froena ethica et religiosa, valorem supernaturalem habentia, opera etiam medici aliquatenus coadjuvante, suos felices et perennes sortiantur effectus.

Facile equidem intelligitur, quam sint efficacia verba sacerdotis relate praesertim ad suggestionem, quam medicus adhibere debet tamquam medium curae potissimum; sed maxime quoque ad poenitentem persuadendum de necessitate absoluta vitandi omnes causas occasionales, praecipue vero alcoholicas potiones.

Animadvertimus tandem, quod evidens dumtaxat necessitas, vel saltem convenientia sacerdotes in re tam gravis momenti magis atque magis illuminandi, animum nostrum induxit ad reluctantiam vincendam, quam na-

turaliter semper passi sumus in hoc tam lubrico tractando argumento, quod maximo dolore afficit animas omnes, quae tam gravium turpitudinum foeditatem tantopere abhorrent.

Optimi itaque, quos secuturos ex hac tractatione fructus speramus, sint nobis tamquam aliqua merces et retributio pro difficultate et repugnantia devicta.

Hoc igitur qualecumque opus et labor optatos producat effectus ad majorem Dei gloriam atque animarum corporumque salutem.

Caput Octavum

Conclusio totius operis.

Certamen est vita nostra, forte et sanctum certamen inter malum, quod ad terrena subdole allicit, et bonum, quod ad coelestia nos erigit: inter divinae legis praecepta, mercedem pollicentis nostra superexcedentem merita, gloriam nempe aeternam, et materiam pauca exhibentem instantia voluptatis nimiae amaritudini mixtae; inter Deum, qui suum nobis offert amorem, et creaturas, quae nos avertunt ab illo.

Lacrimabilis sane experientia quotidiana nos docet, quod in hujusmodi pugna unum dumtaxat imbecillitatis momentum auferre potest victoriam atque praecipitem sternere viam ad formidandos abyssos. Unde Spiritus S. nos monet: « *Cum timore et tremore salutem vestram operamini* ». Et revera, libertas, quam Deus prae omnibus creaturis super terram nobis donavit, medium adesse potest sicut nostrae salutis, ita et nostrae quoque ruinae.

Insuper, in proelio isto, quod tamdiu instat, quandiu vita nostra in hoc mundo perdurat, si ex una parte nonnullos foedere amico conjunctos habemus, qui ad bene dimicandum nobis praesidio sunt, atque ipsa Dei gratia nos adjuvat illustrationibus et inspirationibus supernaturalibus ad actus eliciendos, qui naturam excedentes vere sunt meritorii vitae aeternae, ex alia vero adversarios in via Dei patimur, qui nobis occurrunt sub

specie amicorum, sed intrinsecus sunt fallaces amici, in semitas tenebrosas impellentes incautos, et a via recta abducentes. In hoc sane conflictu multipliciter et continuo variae adversus nos potentiae conspirant, brutales nempe instinctus, frequentiores occasiones molliter incitantes, passionesque, quae animum perturbant, et rectam rerum visionem obnubilant.

Intestinum revera latet in nobis bellum inter rationem ostendentem supremum hominis finem atque appetitum sensitivum. Cuinam ergo victoria?

Rationine, an sensitivo appetitui? Rationine, inquam, hominis potentias rite ordinanti, vel appetitui ad sensuum satisfactionem trahenti?

Christiana doctrina nos docet, exitiales, quos in recte agendo quotidie experimur defectus, mentis scilicet: obnubilationem, intellectus ignorantiam, infirmitatem voluntatis, corporisque in animam necnon sensuum in rationem praedominium aut imperium, tamquam effectus in nos dimanasse ex lapsu protoparentis.

Et revera peccatum originale, juxta d. Pauli sententiam, vere proprieque dictum peccatum est, et qua tale poena etiam dignum, ideoque homines omnes, qui Adae culpa infecti nascuntur, etiam post acceptum baptisma poenas luere debent, quas protoparentibus, si peccassent, Deus comminatus fuerat, sanctificantis nempe gratiae, integritatis et immortalitatis privationem. Baptismatis enim aqua peccatum quidem abluit originale, sed concupiscentia, mortalitas et passibilitas manent tamquam verae poenalitates, quae miserum humani generis casum testantur. Quod tamen non ita est intelligendum, quasi naturales hominis vires intrinsece debiliores nunc sint ac fuissent in statu purae naturae; docent quippe unanimiter theologi, quod vires humanae eumdem gradum et perfectionem habent in statu naturae lapsae, quam in illo statu habuissent, sed deteriores factae sunt, si considerentur relate ad virtutem et

integritatem, quibus praeditae erant in statu originalis justitiae. Et idcirco in nobis non est pax. Cum enim homo mirabili constet corporis animaeque unione, haec et illud, ordinate subjectum, conjunctis viribus amice conspirare deberent ad bonum prosequendum, quod est aeterna felicitas.

Sed hoc nequaquam contingit: nulla quippe inter ista duo elementa habetur pax, sed acer potius et permanens conflictus ad dominium et imperium unius su per alterum exercendum. Estne porro ipsius semper animae victoria? Utinam foret, quia anima Deo similes nos facit, ad Deum elevat, et a Deo profecta ad ipsum redire enixe contendit. Ius igitur ad victoriam haberet; sed quam raro, ut omnes norunt, hujusmodi triumphis anima gaudet: ipsa enim, quae natura libera est, de facto fit serva ipsius corporis, quod saepe saepius in illam dominatur, ipsam ad suas voluptates ita trahendo, ut ei nihil aliud reliquum sit, nisi fletus amarus et exagitantes conscientiae stimuli, si nondum in profundum malitiae pervenerit, et tristis dolor de amisso imperio, quod ipsi donaverat Deus.

Liber profecto est homo; sed a materia seductus, carnis illecebris devictus, divinum despicit donum. Vehemens quippe materiae fascinatio occupat homines. Hi enim materiam cognoscere, possidere, domare percupiunt: ejus thesauros, secreta, delicia acquirere et experiri vehementer desiderant. Materiae cupido febris humana est, quae, in praesenti vitae, aextuantis evolutione, carnes hominum urit. In bona quippe sensibilia quodam furore aetas nostra provehitur, et novo eousque insatiabilis sitis ardore cruciata, non modo vitam exquirit, sed acres quoque vitae sensus aspirat. At nostrae interim arteriae exhauriuntur, musculares cordis nostri remittuntur fibrae, atrophia afficitur cerebrum, incapax fit animus cujuslibet boni sensus et affectus, obnubilatur intelligentia, deficit voluntas. Sed tantum malum

quid refert? Nullius veluti habetur momenti, et negligitur; atque ulterior semper voluptas, aliud adhuc inebriantis voluptatis momentum anxie quaeritur, et exigitur. Sed hac idcirco agendi ratione, seu, propter hujusmodi febrim voluptuosam, rerum ordo subvertitur.

Et revera, ut exemplum ad rem afferamus, humanae naturae inclinationem profecto indidit Deus ad humani generis propagationem, seu ad illum excellentem utique actum, in quo sacrificium et amor una simul conjunguntur, ut Dei opus continuetur; homo vero in procreatione non ad sublimitatem ipsius actus attendit, qui debet esse fons vitae, sed illum tantummodo tamquam medium considerat, quo dura et amara vitae obliviscitur celerrimo delectationis carnalis momento. Ulciscitur equidem natura breviorem hominis vitam reddendo, subducendo foecunditatem, filiisque tristem afferendo haereditatem malorum. At haec quoque minimi interesse videntur. Nocet equidem empta dolore voluptas, sed homo adhuc eam appetit, et ulteriorem semper delectationem avidius inquirit.

Quanta sane tristitia haec perpendentem animum opprimit! quanto insuper luctu obruitur nostra experientia! Homo quippe ratione praeditus, ad imaginem Dei factus, ad lucem et ad coelum directus, homo, in quo signatum est lumen vultus divini, et cui indebita quoque contulit Deus supernaturalis gratiae dona, materialem praefert delectationem ipsi divino amori, carnis voluptatem ipsis spiritualibus bonis, momentaneas delicias aeternae letitiae, creaturam Creatori, id, quod nihil est, ei quod est totum et perfectissimum bonum.

Oh quam adeo plenum dolore mysterium, quod equidem e cruciata conscientia lacrimae fluentes testantur, sed tamen haud valent ad originalem nobis integritatem reddendam!

Quomodo vero explicatur? Infirmi admodum et imbecilles sumus, quidam ajunt; caro et materia vehe-

menter alliciunt; delectationes sensibibiles invincibiliter trahunt; debilis nostra voluntas passionibus impellentibus obsistere nequit: liberi non sumus; aliquid quippe extat, quod nos profecto determinat et necessario ad ima deprimit.

Sed nequaquam hoc verum est; falsae enim sunt istae rationes, quibus propriis turpitudinibus illi velamina quaerunt, qui e cognito coeno vitiorum, in quo pervoluntantur, exurgere nolunt et coelum aspicere.

Unica potius et verissima causa, ob quam nostrarum ordinatum centrum actionum dissolutum est, et tam proni sumus ad malum, quamvis liberum arbitrium extinctum non sit, in historia humanitatis est requirenda, et a lapsu repetenda primi parentis, in quo nos omnes peccavimus, simulque a pristina dignitate lapsi sumus. Hoc est enim dogma catholicum, quod, ut superius vidimus, in culpa originali historicam explicationem optimam et verissimam exhibet concupiscentiae carnis adversus spiritum, quam etiam dominari in rationem voluntarie homo saepe saepius permittit.

In nobis equidem aliquid est, quod desiderium mali constituit, ab honestate retrahit, ad sensibile et deordinatum bonum inclinat, et pervertit libertatem, quam Deus nobis tamquam singulare privilegium prae omnibus mundanis creaturis elargitus est. Et ignobilis hic appetitus, haec mali cupiditas, adhuc profecto persistit, quando ex ipso quoque virtutis exercitio efformatus jam est habitus proprias actiones vigilandi, et acquisita etiam est cordis humilitas; quin immo nec homines renuit carne mortificatos colaphizare, in quibus Spiritus Sancti charismata ipsa sanctitatis luce refulgent.

Et sane, magnus ille Gentium Apostolus, qui prius fuerat tam acer Ecclesiae Dei persecutor, sed dein tam insigne erga Christum ferventis amoris exemplar, occultam, quam in semetipso experiebatur inter corpus et

animam, inter rationem et inferiorem appetitum, luctam patefaciebat his verbis:

« Quod enim operor non intelligo; non enim quod volo bonum hoc ago; sed quod odi malum, illud facio.... Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? » (1).

Haec autem ostendunt fortiter dimicandum esse adversus passiones. At quomodo id poterit fieri?

Illustris philosophus hispanus Balmes (2) ita scribit: « In passionibus gubernandis duplex ratio adhiberi potest ab homine, vel illa nempe, qua ipsae obsecundantur, vel illa, qua ipsis resistitur. Si quis utatur priori, eo usque acriores experietur et exigentiores passiones. Numquam enim ipsae quiescunt; nec spem amittunt, etiamsi terminus statuatur, ultra quem progredi ne audeant, hujusmodi terminum tamdem aliquando superandi. Uno verbo, indulgentia vel relaxatio vim passionibus auget et tenaciam ad ulteriores semper satisfactiones exigendas. In altera vero agendi ratione limes vel terminus passionibus quidem assignatur, ultra quem ire nefas, at hic constans et immobilis exstat, ac veluti aeneo muro circumdatus. Passiones enim incassum illum superare nituntur: nam principium, quod eis obsistit, nunquam immutabitur, nullamque remissionem patietur; nullum quippe datur effugium, si excipias casum, quo ultra progredi valeant ex unica hominis voluntate perversa.

Qui primum autem sequuntur systema, timent, ne passiones insurgant, et falso putant, eas circumscribi posse, cum adoleverint; qui vero secundum, rectissime opinantur, quod si facile non est eas ab initio conti-

---

(1) *Ad Rom.*, XII, 15-24.

(2) *Il Protestantesimo*, etc., t. II, cap. XXV.

nere, hoc in posterum difficilius erit; priores a suppositione procedunt, quod passiones dissipentur et minuantur, si eas erumpere quis sinat; alii vero e contra a persuasione, quod non extinguantur, immo immodice augeantur, si eis relaxentur habenae. Communiter loquendo dici potest, catholicam religionem alterum sectari systema: idest, pro regula habet, passiones debellandas esse in principiis, eis nullam victoriae spem relinquendo, seu in ipsis incunabulis praefocandas esse. Animadvertere vero necesse est, hic de severitate in passiones agi, non vero in hominem ipsis obnoxium; quoniam optime convenit, austeritatatem cum passionibus adhibere, homini vero indulgere; inexorabilem adversus peccatum esse, peccatorem vero miseranter tolerare ».

Sed homo inter voluntatem seu appetitum superiorem ad bonum ducentem et inferiores appetitus ad malum allicientes constitutus, posterioribus saepe saepius indulget rationis jura impetendo. Ex quo consequitur voluntatis imbecillitas, seu *abulia*, quae specialis habetur hujus aevi character, uti etiam testatur, logicas conclusiones deducens ex quodam magni ponderis opere, illustris quidam et praestantissimus medicus scribens: « Deficiens et remissa voluntas gravissimus est nostri temporis morbus » (1).

Amara equidem verba, sed adeo sincere exprimentia vere et realiter tristissimam conditionem hodiernam! Et sane, si quis de hujusmodi veritate certiorem sese reddere velit, nostram consideret societatem praesentem, et facile perspiciet, quod quam plures homines, licet scientiae moralis doctores, medici, viri religiosi et politici necessitatem propugnent castitatis, sexuali appetitui mi-

(1) Dott. P. Lévy, *L'educazione razionale della volontà*, tradotto in italiano dal dr. Montanari, Palermo 1907.

Educatio voluntatis sub medico respectu considerata veram constituit scientiam, quae sub una ratione tamquam fundamen-

nime resistunt; unde turpissima quaquaversus inundat corruptio, miserrime corpora animasque inficiendo.

Sed praeterea, quod hisce temporibus juvenum potissimum incontinentia a deficientibus pendeat inhibitoriis voluntatis facultatibus, facile unusquisque comprehendet, si ea tantum recogitet, quae hucusque exposuimus.

Evidenter igitur ex jam demonstratis concluditur, quod admodum noxia tam corpori quam animae late patet incontinentia, et quod M. Aurelii verba: « Esto vir et castus » hoc intelligenda sunt sensu: Esto vir: adhibe nimirum voluntatem virilem, et castus eris (1).

Ex hactenus itaque disputatis nemo est, qui non videat, quam adeo sit necessaria ad incontinentiam debellandam rationalis voluntatis educatio.

Sed hic sese examinandas offerrent quaestiones gravissimae, illae, nimirum, de juvenibus instruendis circa sexualia (salebrosa equidem quaestio acriter controversa), (2) de librorum lectionibus, de religiosa educatione tamquam necessario ad castimoniam fovendam fundamento, aliaeque quam plurimae, quas neque enumerare nunc vacat (3).

Illud vero tantum animadvertere volumus, quod hujusmodi nempe problemata, utpote quae ad scientiam moralem spectantia, in praesenti a nobis minime tractanda esse censuimus, sed media dumtaxat exponere maluimus, quae ad vitam castam ducendam medicus suggerere potest. Atque ad hunc propterea finem, praemissis de instinctu ejusque varietatibus investigationibus, circa causas internas et externas generalem exhi-

---

tum inservit in cura aegrotorum, (*psychotherapia*) et sub altera efficaciter una simul cum paedagogia ad pueros rite instituendos cooperatur. Ad rem faciunt opera Liebeault, Payot, aliorumque.

(1) Cfr. quae superius de psychotherapia disseruimus, cap. 6. et etiam: Carlo Fedeli, prefazione alla traduzione italiana dell'opera: *Igiene della Castità* del Körnig. (Bocca, Torino 1907).

(2) Cfr. cap. IV. (3) Ibid.

buimus prospectum prophylaxeos, seu medicinae ab incontinentia praeservantis, necnon therapeuticae, seu ipsius incontinentiae curae.

Haec autem ideo tradidimus, quia Deus non media tantum supernaturalia praebuit hominibus ad concupiscentiam oppugnandam, sed naturalia etiam exhibuit, quae licet directe anaphrodisiacam non contineant virtutem, potentiam tamen habent sexualem aliquatenus temperandi appetitum. Unde necesse erit ad ista quoque recurrere tum quotiescumque enormem quis excitationen experiatur, et tum quando carnis patiatur violentiam, quae ad naturalem subjectionis ipsi rationi et voluntati debitum ordinem abrumpendum impellere audet. Ita igitur nemini quamlibet afferre propriae inertiae lascivae excusationem fas erit.

Sed ad rem audiantur, quae scientiae nomine juvenibus dirigit plena sapientiae verba clar. doct. Good: « Puritatem colendo pulcherrimam vestrae naturae humanae formam perficietis et explicabitis, vestrum scilicet, *esse morale*. Facilius enim voluntas vestra pericula vitae eousque insurgentia superabit; et quaevis futura sit conditio vestra socialis, in singulariter eminenti collocabit vos puritas ordine prae omnibus iis, qui propriis dominari non assueverunt passionibus.

Quin immo, sub unica etiam considerata ratione utilitatis et boni vestri individualis, rite intellecti, quam magna vobis commoda exculta puritas afferet. Nam tot tantosque conscientiae remorsus atque tormenta vitabitis, ut vita vestra, non sicut plurium, ad quorum tamen felicitatem adstruendam omnia videbantur confluere, immunis futura sit a tristitiae tabe funesta ».

At si ita scientiae nomine eloqui medico fas est, quidnam Religionis nomine non erit a nobis dicendum?

Castitatem equidem magnificaverunt Ss. Patres; idque non ex eo quod major ceteris virtutibus sit, sed quia plerumque frequentius et vehementius impetitur.

Nobis enim, in ipso sanguine nostro, stimulus inest peccati contra castitatem, isque talis naturae, ut quemlibet alium exsuperet nimia acritate appetitum.

Quamobrem *qui caste vivere vult, sui ipsius victor continuus sit oportet.*

Quod etiam mirabili sane modo per os Ap. Pauli docet Spiritus S.: « *Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem.... qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* » (1).

Insuper, castitatem laudant Patres, quia nos liberat a luxuriae damnis; de quibus scribit s. Gregorius Magnus: « *De luxuria caecitas mentis, inconsideratio, inconstantia, praecipitatio, amor sui, odium Dei. affectus praesentis saeculi, horror vel desperatio futuri generantur* » (2).

Excellentius autem castitatis elogium proponit sanctus Ephrem his verbis: « *O castitas, inimica voluptatis, luxuriae, venustatis corporis, et ornatus vestium... O castitas, oculorum frenum, quae totum corpus e tenebris transfers ad lucem.... O castitas, donum Dei, plena benignitatis, pudicitiae, scientiae. O castitas portus sine tempestate, plenus pacis et tranquillitatis. O castitas, mater spiritualium deliciarum et mors tristitiae. O castitas, quae illuminas justitiam, diabolo autem tenebras offundis et properas ad thronum supernae vocationis in Christo.... O castitas, pulcherrimum cimelium, quod a feris non vastatur, et igne non consumitur. O castitas, quae rosae instar flores in medio corpore et anima, totamque domum fragrantia imples. O castitas, praecursor et domestica Spiritus Sancti. O castitas, quae non solum in virginibus palmam*

---

(1) *Gal.* v. *Rom.* VII, 24.

(2) Cfr. quae ad rem notat s. Thomas, 2. 2. q. 153, art. 5. Cfr. etiam q. 15, art. 3, q. 46, art. 3, q. 153, art. 6.

victoriae obtines, sed etiam in coniugatis. Hanc toto corde amemus, o benedicti servi Redemptoris, ut gaudium afferamus Spiritui Sancto, qui habitat in nobis » (1).

At si tanti valet, ac tot tantisque laudibus extollitur castitas, si necessaria insuper ipsa est in quolibet statu, in claustro, nimirum, et in nuptiali thalamo, atque omni tempore, in juventute, in aetate matura ac in ipsa quoque senecta, nonne forte saltem conveniens est, ne dicam, uti verum est equidem, moraliter necessarium, — omnibus ad eam colendam uti mediis idones, quae Deus hominibus offert?

Ob hoc sane motivum media haec non inutiliter investigare, recensere et aptiora eligenda proponere censuimus. Sub hac enim ratione, medici verbum utile quippe et quandoque etiam necessarium evadere potest.

At sedulo quod tandem omnes monere debemus, incassum profecto quis adniteretur ad sexualem penitus extinguendum appetitum. Proeliari enim in tota vita nostra continuo debemus: militia quippe est vita hominis super terram.

Medici quidem opera aliquantum in ista lucta juvabit, sed nullatenus ad hanc eliminandam nec penitus propulsandam valebit. Poterit profecto hujusmodi opera inaestimabile infirmitati nostrae praesidium afferre tamquam amico foedere juncta cum adjutoriis mediisque illis supernaturalibus, quae hominibus, Deo gratiose largiente, praesto sunt, et ex quibus unice pendet victoria, modo rite quis illis uti sciat velitque.

Si hujus igitur operis finis obtineatur intentus, ideoque realiter efficax ad mentis corporisque salutem quis inveniat auxilium, soli Deo sit honor et gloria.

---

(1) *Paraenesis*, 96.

A. M. D. G.

ERRATA-CORRIGE

Pag.	1,	lin.	11:	et pro individuis,	*Scribe:* sive pro individuo, sive pro familia.
»	»	»	14	pleneque	» planeque
»	2	»	12	pro se inducunt	» secum ducunt
»	4	»	14	difectus	» defectus
»	5	»	5	Neque huic	» Neque in hoc
»	»	»	13	praestito	» adhibito
»	»	»	19	quod vero	» illud vero
»	»	»	24	esse certo, etc.	» certo nobis videtur futurum
»	6	»	6	comparata	» collata
»	»	»	9	psycoterapia	» psychotherapia
»	»	»	16	psicopaterapeutica	» psichotherapeutica
»	»	»	20	obidip.	» ob idipsum
»	»	»	24	psycopatias	» psychopathiasque
»	9	»	9	Nervin	» Nerven
»	»	»	20	Biosnanger	» Binswager
»	»		nota	psicologicis	» psichologicis
»	10	»	8	Carra	» Carrara
»	»	»	28	Debragne	» Debreyne
»	»	»	42	Ernest	» Ernst
»	11	»	13	Foussagrives	» Fonssagrive
»	»	»	25	questione	» Etica
»	»	»	25-26	in bibliographia	» Supra
»	»	»	32	Id., Etica	» Forel, Etica
»	12	»	1	Freund	» Freud
»	13	»	11	Omosexualitatem	» Homosexualitatem
»	14	»	16	Arzte	» Aerzte
»	15	»	39	Ziecler	» Ziegler
»	18	»	22	ovocellula	» ovo-cellulam
»	19	»	17	Sexualiium	» Sexualium
»	»	»	20	phoenomenon	» phaenomenon
»	22	»	31	vorstell.	» vorstellungsassociationsvermogen
»	23	»	2	coarc.	» coarctaretur
»	»	»	24	Bezze	» Bethe
»	»	»	31	unwill kurliche	» umvillkürliche
»	»	»	32	Subcosciens	» subconsciens
»	24	»	3	circust.	» circumstantiis
»	25	»	6	appetitutus	» appetitus
»	»	»	11	attraendo	» attrahendo
»	»	»	20	opininiones	» opiniones
»	»	»	24	aexistimaverit	» existimaverit
»	»	»	29	symptomata	» Symptomata
»	26	»	9	nequeunut	» nequeunt
»	»	»	11	sympthoma	» Symptoma
»	»	»	31	omo-sexualitáte	» homo-sexualitate

Pag.	27, lin.	4:	reponenenda	*Scribe:*	reponenda
»	»	» 5	eterosexualem	»	heterosexualem
»	»	» 28	esageratio	»	exaggeratus
»	»	» 32	videlict	»	videlicet
»	28	» 12	disignat	»	designat
»	»	» 20	phoenomenon	»	phaenomenon
»	29	» 2	foenomenon	»	phaenomenon
»	30	» 20	aexstent	»	extent
»	»	» 26	etichae	»	ethicae
»	31	» 22	in alia et in alia	»	in alia atque alia
»	33	» 17	psychopatologische	»	psychopathologische
»	»	» 18	Sexalteorie	»	Sexualtheorie
»	»	» 28-9	conosere	»	conoscere
»	»	» 30	psycho-analiticos	»	psycho-analyticos
»	»	nota	Olbrakam	»	Abraham
»	»	»	nella	»	in
»	38	» 34	aextimatione	»	aestimatione
»	39	» 7	aextimationis	»	aestimationis
»	»	» 23	phoenomena	»	phaenomena
»	41	» 7	phoenomenon	»	phaenomena non
»	42	» 6-7	hyperemia	»	hyperhaemia
»	»	» 10	prostraticae	»	prostaticae
»	»	» 21	hyperemia	»	hyperhaemia
»	43	» 33	patologia	»	pathologia
»	46	» 1-2	phoenomeni	»	phaenomeni
»	47	» 2	non	»	haud
»	»	» 15	patologicae	»	pathologicarum
»	»	» 17	phoenomenon	»	phaenomenon
»	»	» 18	patologicarum	»	pathologicarum
»	48	» 20	phoenomenon	»	phaenomenon
»	49	» 13	anathomicis	»	anatomicis
»	»	» 17	anathomia	»	anatomia
»	»	» 18	admittenbantur	»	admittebantur
»	52	» 25	Blanc	»	Blanc y Benet
»	56	» 13	phoenomena	»	phaenomena
»	57	» 10	speciales	»	specialis
»	»	» 13	neurastenia	»	neurasthenia
»	65	» 29	Fonssegrive	»	Fonssagrive
»	66	» 30	biclètte	»	bicyclette
»	72	» 13	Tarnowscki	»	Tarchanoff
»	76	» 29	forsichere psychisischen	»	vorsichtige psychischen
»	83	» 33	in abdominen	»	in abdomen
»	84	» 4-5	frequentes habeantur, nihil	»	frequentes non habeantur, aliquid
»	97	» 3-6	Brov	»	Brown
»	103	» 10	grande-sympatico	»	*grande-sympathico*
»	104	» 8	pulcherimme	»	pulcherrime
»	107	» 29	irresistibilis esse appetitus sexualis	»	irresistibilem esse appetitum sexualem
»	111	» 14	ex. gr., am	»	ex. gr.,
»	113	» 2	synthoma	»	symptoma
»	114	» 7	antropideae	»	anthropoideae
»	121	» 2	prophylais	»	prophylaxis
»	»	» 21	auxiliari, qui	»	auxiliarii, qui
»	133	» 23	m entis	»	mentis
»	»	» 35	ludicram	»	abjectam
»	134	» 17	quae favent, quod	»	quae ei favent, quod
»	136	» 15	quisman	»	quisnam

Leviores alios, qui irrepserint, errores intelligens et comis lector corriget.

15198

253.3 Gemelli, Agostino
AUTHOR
G 322 Non Moechaberis
TITLE

BORROWER'S NAME

253.3
G 322

15198

GRADUATE THEOLOGICAL UNION
1962

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library